Herrn Professor Wheeler m. fr. Gr. der Verf.

DE CHRISTODORO POETA THEBANO

DISSERTATIO PHILOLOGICA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVI M. IVLII A. MDCCCLXXXI HORA XI

PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

(Georg)
FRIDERICVS BAVMGARTEN
ARGENTINENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

PAVLVS WOLTERS.
ROBERTVS MVENZEL.
ERICVS MARCKS.

BONNAE · TYPIS CAROLI GEORGI VNIV · TYPOGR ·

MDCCCLXXXI

PATRI CARISSIMO

S.

In Christodori ecphrasi pertractanda minus res descriptas, quam formam qua describuntur commentari in animo mihi est. de illis quae ad archaeologiam pertinent alii iam disseruerunt, in hanc i. e. in rem metricam poetae et dicendi rationem nondum accurate inquisitum esse video. at quo certius evinci potest Christodorum non tam id studuisse, ut de statuis quas describit claram nobis evolveret imaginem, quam ut sophisticis artificiis elegantibus numeris lecta quadam dictione nos delectaret, eo magis forma poematis, quippe cui poeta ipse plurimum tribuerit, studium nostrum ad se vocabit. cum in futilibus his declamationibus nullum insit fundamentum, unde profecti certi quippiam assequi possimus ad artis statuariae historiam promovendam, rhetoricis et metricis ecphrasis proprietatibus saeculi ingenium luculente illustrari nemo negabit.

In disputatione nostra ordinem placet hunc sequi, ut primo capite quaecunque ad aestimandam indolem et fidem huius ecphrasis ex usu esse videantur breviter tractemus, fusius deinde capite altero de re metrica, capite tertio de dictione Christodori exponamus.

Sed facere non possum quin, priusquam ad singula descendam, gratias agam quam maximas Buechelero et Studemundio, viris cum de universa mea educatione, tum de hoc meo opusculo optime meritis.

I.

§. 1. Christodorus poeta Thebanus ex urbe Copto ex eadem illa Aegypto oriundus erat, quae ad finem saeculi post Chr. n. quinti omnes fere poetas Byzantii laudatos procreavit. cuius vatum chori qui principis locum tenuisse videtur Nonnus Panopolitanus degeneratam tum hexametri formam ad novam quandam perfectionem adduxit et epico carmini magnum denuo eruditorum favorem conciliavit; hac nova heroici versus forma Christodorus quoque in omnibus carminibus quae quidem commemorantur [1]) usus est. ad res ab eo cantatas

---

1) praecipuo huc pertinent quae de scriptis Christodori tradiderunt

Suidas s. v.

Χριστόδωρος, Πανίσκου, ἀπὸ Κοπτοῦ πόλεως τῆς Αἰγύπτου, ἐποποιός. ἤκμαζεν ἐπὶ τῶν Ἀναστασίου τοῦ βασιλέως χρόνων. ἔγραψεν Ἰσαυρικὰ ἐν βιβλίοις ς' (ἔχει δὲ τὴν Ἰσαυρίας ἅλωσιν τὴν ὑπὸ Ἀναστασίου τοῦ βασιλέως γενομένην).

Πάτρια Κωνσταντινουπόλεως, ἐπικῶς, βιβλία ιβ'. Πάτρια Νάκλης (ἔστι δὲ πόλις περὶ Ἡλιούπολιν, ἐν ᾗ τὰ καλούμενα Ἄφακα). Πάτρια Μιλήτου τῆς Ἰωνίας. Πάτρια Τράλλων. Πάτρια Ἀφροδισιάδος. Ἔκφρασιν τῶν ἐν τῷ Ζευξίππῳ ἀγαλμάτων· καὶ ἄλλα πολλά.

Eudocia p. 436.

Χριστόδωρος, Πανίσκου, ἀπὸ Κοπτοῦ πόλεως τῆς Αἰγύπτου, ἐποποιός, ἤκμαζεν ἐπὶ τῶν Ἀναστασίου τοῦ βασιλέως χρόνων. ἔγραψεν Ἰσαυρικὰ ἐν βιβλίοις ς' (ἔχει δὲ τὴν Ἰσαυρίας ἅλωσιν τὴν ὑπὸ Ἀναστασίου τοῦ βασιλέως γινομένην). ἐπιγραμμάτων βιβλία γ', ἐπιστολῶν δ', ἔκφρασιν τῶν ἐν τῷ Ζευξίππῳ ἀγαλμάτων, πάτρια τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐπικῶς βιβλία ιβ', πάτρια Θεσσαλονίκης βιβλία κε', πάτρια Νάκλης (ἔστι δὲ πόλις περὶ Ἡλιούπολιν, ἐν ᾗ τὰ καλούμενα Ἄφακα), πάτρια Μιλήτου τῆς Ἰωνίας, πάτρια Τράλλεων, πάτρια Ἀφροδισιάδος.

animadvertes, quod hi indices non solum ordine alphabetico a Suida

quod attinet, mythistorias in deliciis eum habuisse testantur et sex urbium πάτρια quae conscripsisse traditur et Λυδιακά inscriptum carmen, cuius exigua particula servata est apud schol. A ad Il. B. 461 [1]). neque vero recentissimae aetatis facta versibus illustrare praetermisit: immo sex libris Anastasio imperatori blanditus Isauriae expugnationem celebravit et epigrammatis aequalium memoriam prosecutus est [2]). ὁ περὶ τῶν ἀκροατῶν τοῦ μεγάλου Πρόκλου μονόβιβλος ex quo versum Ioannes Lydus [3]) profert ne doctrinae quidem studiis alienum eum fuisse ostendit. minus certum est, num poeta qui nomen prae se fert christianissimum christianas quoque res tractaverit; nam alterum illum Christodorum Θηβαῖον Ἰλλούστριον qui Suida auctore ἔγραψεν Ἰξευτικὰ δι' ἐπῶν καὶ θαύματα τῶν ἁγίων Ἀναργύρων Κοσμᾶ καὶ Δαμιανοῦ eundem atque Coptiten esse, etsi est verisimillimum certa ratione probari non potest [4]).

§. 2. Ex multis his Christodori operibus sola descriptio statuarum Zeuxippi ita ad nostram aetatem pervenit, ut indolem poetae perspicere liceat. at ne hanc quidem integram in

---

neglecto, observato ab Eudocia, sed etiam numero carminum quorum mentio fit, aliquantum distant inter se. unde Eudocia ἐπιγραμμάτων βιβλία γ', ἐπιστολῶν δ' Suidae ignota noverit nescimus. Pulchius (de Eudociae quod fertur violario p. 90) epistulas prorsus fictas putat, epigrammatum notitiam ex anthologia Planudea arcessitam, numeros librorum ut falsos se non morari ait.

1) Ἄσιος υἱὸς Κότυος καὶ Μυιοῦς Λυδῶν βασιλεύς, ὥς φησι Χριστόδωρος ἐν τοῖς Λυδιακοῖς

Κότυς λευκώλενον ἄλλην
ἤγετο κουριδίην ὁμοδέμνιον οὔνομα Μυιοῦν
ἥ δ' Ἀσίην τέκε κοῦρον....

2) cf. Anthol. Palat. VII, 697 sq.

3) de magistr. pop. Rom. III, 26: Ἀγάπιος ἦν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον (anno 511 p. Chr. n.) περὶ οὗ Χριστόδωρος ὁ ποιητὴς ἐν τῷ περὶ τῶν ἀκροατῶν τοῦ μεγάλου Πρόκλου μονοβίβλῳ φησὶν οὕτως·

Ἀγάπιος πύματος μὲν ἀτὰρ πρώτιστος ἁπάντων.

4) christiana Christodori scripta ab alio ac reliqua eius opera commemorata invenit Suidas: haec sine dubio apud Hesychium Milesium (cf. Schneider Callim. II, p. 26 sq.) illa apud christianum aliquem auctorem, cui ex ceteris omnibus Christodori carminibus didacticum illud Ἰξευτικῶν maxime convenisse non incredibile est.

Anthologia servatam esse vix est quod moneam; an tu poetam quamvis ineptum talem descriptionem a verbis

Δηΐφοβος μὲν πρῶτος ἐϋγλύπτῳ ἐπὶ βωμῷ
ἵστατο . . . .

incepisse existumas? prooemium ni fallor excidit vel, ut accuratius dicam, omissum est a librario, qui Constantini Anthologiae ea quae hodie in quattuor primis codicis Palatini capitibus leguntur ex aliis libris corrasa praemisit [1]. cuiusmodi id fuerit non iam certo definiri potest; ex iambicis prooemiis, quae Pauli Silentiarii et Ioannis Gazaei ecphrasibus praecedunt, conicias Christodorum quoque iambis aliquot in initio carminis audientium coronam collaudasse. neque ad finem ecphrasis qualem nos legimus integra esse videtur: minime enim Vergilii statua ita describitur, ut ultimam eam fuisse intellegamus. fortasse id quoque meam de abscisso ecphrasis exitu sententiam adiuvat, quod Iacobi Psychristae effigies paulo ante Christodori aetatem in Zeuxippo erectae [2] inter LXXX imagines quas describit poeta nullo verbo commemorantur. neque hic ipse signorum numerus conferenti quae omnium auctorum consensu [3] de singulari Zeuxippi amplitudine traduntur, tantus videbitur, ut non plures statuas in balneo illo adfuisse facile tibi persuadeas.

§. 3. De poematis consilio ipso titulo quem Christodorus praescripsit certiores fimus. ἐκφράσεως enim nomine novissimis antiquitatis temporibus id descriptionum genus significabatur, quo sophistae qui dicuntur cum alias res tanquam manifestas audientium oculis proponebant, tum ipsorum artis operum varietatem exaequare studebant. apud Christodori aequales hoc artes describendi studium, quod inde a saeculo p. Chr. n. altero usu receptum erat, tanta gratia florebat [4], ut illum quoque eo captum non miremur. re vera non quo locorum aut aedificiorum situs docere vellet, ecphrasin eum

1) cf. Jacobs: prolegom. animadversionum in epigr. p. LXX sqq.

2) cf. chronic. paschal. p. 596.

3) cf. e. gr. Codin. p. 14. idem p. 64 in ecclesia S. Sophiae 427 statuas dispositas fuisse narrat.

4) cf. Matz de fide Philostratorum p. 19 sqq.

composuisse apparet, sed rhetoricae tantum demonstrationi operam dedisse.

At quamvis evidenter omnes versus sophisticam artem redoleant, tamen in statuaria signorum adumbratione miro modo praecepta de verorum operum ecphrasi quae apud aequales valebant negligere ausus est. velut Nicolaus Sophista qui vocatur in praeexercitamentis haec praecipit[1]): ἀρξόμεθα δὲ ἀπὸ τῶν πρώτων, καὶ οὕτως ἐπὶ τὰ τελευταῖα ἥξομεν· οἷον εἰ ἄνθρωπον χαλκοῦν ἢ ἐν γραφαῖς ἢ ὁπωσοῦν ἔχομεν ἐν τῇ ἐκφράσει ὑποκείμενον, ἀπὸ κεφαλῆς τὴν ἀρχὴν ποιησάμενοι βαδιοῦμεν ἐπὶ τὰ κατὰ μέρος· οὕτω γὰρ πανταχόθεν ἔμψυχος λόγος γίνεται. nonne primo obtutu apparet alias esse ecphrases quas Nicolaus hoc loco respicit, aliam eam de qua nos agimus? tantum enim aberat Christodorus ut in humana figura enarranda a capite ad pedes descenderet, ut raro de indiciis statuarum, de motibus, de manuum pedumque dispositione, de reliquo corporis habitu verba faceret: immo quaecunque ad speciem statuarum pertinerent aut minimi aestimavit aut propter magnum signorum numerum accurate se exponere posse desperavit.

Alterum de ecphrasi praeceptum Nicolaus ibidem his verbis exhibet: δεῖ δὲ πειρᾶσθαι λογισμοὺς προστιθέναι τοῦ τοιοῦδε ἢ τοιοῦδε παρὰ τοῦ πλάστου σχήματος, οἷον τυχὸν ἢ ὅτι ὀργιζόμενον ἔγραψε διὰ τήνδε τὴν αἰτίαν, ἢ ἡδόμενον, ἢ ἄλλο τι πάθος ἐροῦμεν συμβαῖνον τῇ περὶ τοῦ ἐκφραζομένου ἱστορίᾳ· καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων δὲ ὁμοίως πλεῖστα οἱ λογισμοὶ συντελοῦσιν εἰς ἐνάργειαν. ne tales quidem λογισμούς ubique Christodorus adhibuit, immo satis raro, qua de causa gaudens aut lacrimans, nudus aut vestitus quis effictus esset, explicare conatus est. valde autem dubito num usitatissimum eius argumentum, quo vates vaticinantes, poetas carmina componentes, rhetores declamantes repraesentatos esse affirmat, in λογισμῶν illorum numero habendum sit: certe eiusmodi dicendi ornamentis non augetur statuarum evidentia.

---

1) Spengel. rhetor. Graec. III, p. 492.

Cum vero his locis speciem quidem ostenderet auctoris statuas descripturi, alibi statuaria descriptione prorsus neglecta nomen tantum et patriam et munus eius qui repraesentatus erat breviter commemoravit. sentias minus statuas quam homines statuis expressos eorumque memoriam cordi fuisse Christodoro. sic hoc opus reliquis illis quae supra (§. 1) adumbravi apte convenit: quibus cum heroica potissimum tractasset, veterum et aequalium res gestas narrasset, de viris eruditione praeclaris egisset, non miramur, quod in hac ecphrasi de dis, heroibus, hominibus in Zeuxippo effictis eruditulas quasdam observationes sophistica ratione declamare, quam effigies ipsas putida diligentia describere maluerit.

Haec quidem hactenus de consilio, quod Christodorus secutus esse videtur: illa quaestio utrum ecphrasin hanc et versibus et hoc quod dixi describendi genere insignem sicut alias aequalium ecphrases coram populo declamatam an quae legeretur tantum conscriptam esse putemus, cum ex carmine ipso neque quo commendemus declamationem, neque quo refutemus quidquam elicuerim, in medio relinquenda est.

§. 4. Pauca etiam de balneo Zeuxippo disseram, ubi statuae de quibus agit Christodorus collocatae erant. sane Cangius et Bandurius in libris celeberrimis de Constantinopoli Christiana conscriptis de huius lavacri origine et dispositione fusius disputant; neque vero, cum locos qui huc pertinent coacervaverint magis quam clare disposuerint, nova inquisitione supersedere potui.

Ac primum quidem certissime probatum est ab Alexandro Severo balneum esse conditum[1]), unde nonnunquam vocatur βαλανεῖον τοῦ Ἀλεξάνδρου[2]) aut τοῦ Σεβήρου λουτρόν[3]) aut Σεβήρειον[4]) aut Σεβῆρος[5]). apud Byzantinos ipsos haec a

1) anonymi brev. enarr. chronogr. p. 188. Ioann. Lyd. de mag. p. R. III, 70. cf. etiam Lamprid. vit. Alex. Sev. 24, 5. 39, 4. unus Zosimus (II, 30) a Septimio Severo balneum conditum esse tradit.

2) chron. paschal. p. 622, Theophanes: chronograph. I, p. 284.

3) Zonaras p. 51.

4) Io. Lyd. l. l.

5) anonym. l. l.

Severo derivata cognomina nunquam in usu fuisse videntur[1]), immo enim pertinaciter Zeuxippi nomen quod antea loco illi inditum fuerat retinebant.

A Constantino sicut totum Byzantium Zeuxippum quoque auctum et exornatum esse unum chronicon paschale testatur[2]): ἀνεπλήρωσε κοσμήσας κίοσι καὶ μαρμάροις ποικίλοις (incrustatione marmorea) καὶ χαλκουργήμασιν, quo loco χαλκουργήματα etsi rarus hic verbi usus est aeneas statuas in Zeuxippo collocatas intellego: quas quidem Christodorus ibi vidit statuas aeneae certe fuerunt, tales enim expressis verbis XXI indicat[3]), alias eis vocabulis (ἤστραπτε vv. 13. 367. 388. ἔλαμπε vv. 78. 92. 144. 194. 291. 357, σελάγιζε v. 351) quae si recte ad materiem statuarum referuntur aeri melius quam marmori conveniant.

Nomen Zeuxippi[4]), quo antea forum quod eodem loco erat vocatum esse omnium auctorum consensu firmatur, variis modis a veteribus ipsis explicatur: Hesychius Milesius[5]) eumque secutus Suidas (s. v. Ζεύξιππος) aram Iovis Ἱππίου[6]) illic quondam fuisse somniant et stultissima etymologia ex Ζεὺς Ἵππιος Ζεύξιππος factum esse volunt. neque illa interpretatio probanda mihi videtur, qua idem Hesychius (l. l.) a luco Herculis qui Diomedis equas ibi iugo submisisset balneum denominatum esse contendit. ne eam quidem, quam ex Eusebii chronicis Hieronymus protulit[7]) ('Zeuxis pictor agnoscitur, ex cuius alii imaginibus quas plurimas invitatus

---

1) chron. pasch. p. 494.

2) p. 529.

3) cf. vv. 12. 18. 31. 39. 47. 58. 73. 78. 83. 118. 122. 152. 169. 178. 198. 206. 256. 286. 293. 311. contra marmoris nusquam mentio fit.

4) ὁ Ζεύξιππος, non τὸ Ζευξίππου apud omnes fere auctores dicitur.

5) Mueller Fr. H. Gr. IV p. 153.

6) alias nusquam hoc nomen Iovi inditur.

7) ad ann. Abr. 1550 Pers. 19 Schoene II, p. 103. ni fallor novum inde argumentum suppetit quo Zeuxippum pictorem in Platonis Protag. p. 318 B commemoratum eundem ac Zeuxin esse affirmemus. (cf. Brunn. hist. artif. II, p. 77.)

fecerat lavacrum Byzantiorum appellatum arbitrantur[1]) ullius esse auctoritatis puto. extremum autem testimonium veram nominis originem prodere videtur, id quod legitur chronici paschalis p. 494: ἔκτισε (scil. Severus) τὸ δημόσιον λουτρὸν τὸ λεγόμενον Ζεύξιππον. καὶ ὅτι ἐκεῖ ἵστατο ἐν μέσῳ τοῦ τετραστῴου στήλη χαλκῆ τοῦ Ἡλίου καὶ ὑποκάτω αὐτῆς ἐγράφετο τὸ ὄνομα τοῦ Ἡλίου Ζευξίππου. (sic cod. Vatic.; edit. Paris. habet τοῦ ἡλίου τὸ ὄνομα) οἱ δὲ Θρᾷκες οὕτως ἔλεγον τὸν τόπον Ἥλιον, οἱ δὲ τῆς πόλεως Βυζαντίων καὶ αὐτοὶ ὠνόμασαν τὸ αὐτὸ δημόσιον λουτρὸν Ζεύξιππον κατὰ τὸ ὄνομα ὅπερ εἶχε πρῴην ὁ τόπος . . . . . ἐγένετο δὲ τὸ τετράστῳον τοῦ Ζευξίππου ὅπου ἵστατο ἐν μέσῳ ἡ στήλη τοῦ Ἡλίου, καὶ ἔκτισεν (scil. Severus) ἀντ' αὐτοῦ ἐν τῇ ἀκροπόλει ναὸν ἤτοι ἱερὸν Ἀπόλλωνος. καὶ ἀναγαγὼν Σεβῆρος ἐκ τοῦ τετραστῴου τὸ ἄγαλμα τὸ Ἡλίου ἔστησεν αὐτὸ ἄνω ἐν τῷ ἱερῷ. de Apolline Zeuxippo vel Sole Zeuxippo nihil aliud comperimus, neque in titulis quos perlustravi hoc nomine deus insignitur. in his angustiis Pausaniae locus[1]) nobis succurrit, ubi Zeuxippus ultimus Sicyoniorum rex Apollinis filius fuisse narratur. nonne qui vel levem cum Graecorum mythis contraxerit consuetudinem inter Apollinem patrem Zeuxippi et Apollinem Zeuxippum vix quidquam interesse concedet? itaque nescio an iure apud Sicyonios et finitimas Peloponnesi gentes Zeuxippi nomine Apollinem adoratum esse statuamus. a peloponnesiacis Byzantii colonis hanc fori denominationem repetendam esse etiam Ioannis Lydi testimonio confirmatur, qui[2]) ἀπὸ Ζευξίππου βασιλέως nomen balnei ducit, ὑφ' ᾧ ἐπὶ τῆς λη' ὀλυμπιάδος Μεγαρεῖς εἰς Βυζάντιον ἀποικήσαντες πρὸς τιμὴν αὐτοῦ τὴν ἀγορὰν οὕτως ἐπωνόμασαν. ad hunc ipsum regem, cum nusquam praeterea commemoretur, recurramus non licet. quae cum ita sint probabile mihi videtur colonos Megarenses By-

---

1) II, 6, 7. cf. quae Hieronymus ex Eusebio ad ann. Abr. 854 adnotat Schoene II p. 55: 'quidam ad huius (Zeuxippi regis Sicyonii) memoriam conservandam balneas Byzantinorum multo post tempore appellatas putant'.

2) de magistr. pop. Rom. III, 70 p. 265.

zantii in foro a Thracibus Solis nomine denotato Apollinis praestantissimi apud Dores dei statuam collocasse et cognomine suae gentis proprio nominasse. De situ Zeuxippi omnia testimonia concinunt cum chron. pasch. p. 530, ubi dicitur πλησίον ὢν τοῦ Ἱππικοῦ καὶ τῆς Ῥηγίας Παλατίου (i. e. in regione II. urbis). pluris interesset de immensi aedificii dispositione si certiora sciremus, quo certior etiam statuarum in eo distributio evaderet. id unum ex locis supra scriptis discimus porticum quadratam τὸ τετραστῷον τοῦ Ζευξίππου balnei ipsius aedificio adiectam fuisse[1]). forum ea porticu inclusum (ἡ ἀγορὰ Ζεύξιππος[2])), cum in nobilissima urbis parte situm esset summoque hominum concursu frequentaretur, aptissimus erat locus, ubi quae in publico tractanda essent, agerentur: hic christiani dogmatici disputare solebant[3]), hic haeretici examinabantur[4]), huius porticus in intercolumniis et ad parietes longe verisimillimum est statuas a Christodoro descriptas dispositas fuisse. primo aspectu ipsa ecphrasis praescriptio qualem codex Palatinus exhibet, εἰς τὸ δημόσιον γυμνάσιον τοῦ ἐπικαλουμένου Ζευξίππου, huc tendere videtur; iure[5]) enim quaerimus γυμνάσιον sitne pars tantum balnei, sitne ipsa illa porticus. at multis exemplis comprobari potest vocabula γυμνάσιον et λουτρόν promiscue illis temporibus adhibita esse[6]); neque appositum δημόσιος, quod de toto aedificio bene dicitur, parti aeque convenit. praescriptio quomodo intellegenda sit Planudes demonstrat, qui tituli verba sic mutavit: εἰς τὸ γυμνάσιον τὸ ἐπικαλούμενον τὸ Ζευξίππου.

---

1) praeterea complures domus cum officinis iunctae commemorantur, quarum reditus ad praebenda luminaria et ad aedificia lavacri reparanda conferebantur. cf. Codin. de sign. p. 36. Iustinian. cod. VIII, 11, 19.

2) Ioann. Lyd. l. l. p. 265.

3) Gregor. Nazianz. (or. XXXIII, c. 8.) Zeuxippum vocat τὴν νέαν Ἰερουσαλήμ (cf. Basilii schol. ad hunc locum.)

4) chron. pasch. p. 322.

5) eo maiore iure, quod alibi balneum semper ὁ Ζεύξιππος, nunquam τὸ τοῦ Ζευξίππου appellatur.

6) cf. H. Vsener. Mus. Rhen. XXIX, 30 sq.

Anno V. Iustiniani (i. e. anno 532 p. Chr. n.) Zeuxippum una cum statuis in eo collocatis incendio deflagrasse constat[1]). ab eodem imperatore balneum instauratum est et novis postea statuis ornatum[2]).

§. 5. Haec de Zeuxippo; iam ad statuas ipsas accedam et ad titulos earum. nuper in hanc rem Conradus Lange ita inquisivit[3]), ut de summa rerum viro docto assentiar, de singulis quibusdam aliter iudicem. quo clarius et consensus noster et dissensus eluceat, viam ab illo praescriptam tenebo. primum Heynii sententiam titulos his signis antiquitus adscriptos fuisse contendentis[4]) eo restringit, ut titulos, si adfuerint, antiquos fuisse neget. quod cum de statuarum nominibus mythicis optimo iure negare videatur, quippe quae artibus florentibus signis adscribi solita non sint, facere non potest, quin de statuis iconicis non idem valere concedat. at de his infra plura proferemus; nunc quaerendum nobis est, nomina statuis utrum recenti tempore data sint an olim adhaeserint. Lange dubitavit, sed p. 116 eo inclinare sententiam suam dixit ut Christodorum ipsum omnium nominum auctorem existimaret[5]). at plane aliud ex ecphrasi ipsa ni fallor demonstrari potest, hic igitur breviter insistam. primum huc refero versus 393—95:

---

1) Procop. de bello Pers. p. 121. Io. Lyd. l. l. Cedren. p. 647 sq. Zonar. p. 272.

2) Niceph. Callist. IX, 9. Codin. p. 38. Anonym. brev. enarr. p. 191.

3) 'Ueber die Statuenbeschreibungen des Christodor und Pseudolibanius'. Mus. Rhen. XXXV p. 110 sqq.

4) comment. soc. reg. scient. Gotting. t. XI (1790) pp. 3—38.

5) cogitat l. l. de catalogo aliquo statuarum quem Christodorus nescio an ipso Anastasio iubente primum constituerit; quamvis frigide singulae statuae enumerentur vix interposita particula qua transgressus ab una ad alteram exornetur, tamen et ἔκφρασις praescriptio et universus carminis tenor prohibet, ne de catalogo cogitemus. neque enim separatim et extra ordinem singulas descriptiones legi voluit poeta, sed unum et arte cohaerens carmen. malo profecto consilio Aldus in singula epigrammata ecphrasin discerpsit, quod cur fieri omnino nequeat Brunck (Anal. III, 227) exposuit.

῞Ιστατο δ' Ἀλκμάων κεκλημένος οὔνομα μάντις·
ἀλλ' οὐ μάντις ἔην ὁ βοώμενος, οὐδ' ἐπὶ χαίτης
δάφνης εἶχε κόρυμβον, ἐγὼ δ' Ἀλκμᾶνα δοκεύω κ. τ. λ.

statua igitur, Alcmaeonis nomine ferebatur, quod poeta qui vatis effigiem corona laurea destitutam nusquam vidisset, facillima coniectura in Alcmanem mutavit, vel potius Alcmanem interpretatus est [1]). ex Langii sententia Christodorus simulavit titulo se adductum primum de Alcmaeone cogitasse, cum vero corona deesset, incidisse in Alcmanem.

Alter locus inde a v. 407 legitur:

῞Ιστατο δ' ἄλλος Ὅμηρος, ὃν οὐ πρόμον εὐεπιάων
θέσκελον υἷα Μέλητος ἐϋῤῥείοντος ὀΐω,
ἀλλ' ὃν Θρηϊκίῃσι παρ' ἠόσι γείνατο μήτηρ
Μοιρὼ κυδαλίμη Βυζαντιάς κ. τ. λ.

nonne apparet Homeri [2]) nomen huic statuae impositum esse ante Christodorum? denique Langii sententia refutari mihi videtur versibus 228—40, quibus pugil incertus sic describitur:

ἦν δὲ παλαισμοσύνην δεδαημένος ὄβριμος ἀνήρ·
εἰ δὲ Φίλων ἤκουε πελώριος, εἴτε Φιλάμμων,
εἴτε Μίλων Σικελῆς ἔρυμα χθονός, οἶδεν Ἀπόλλων·
οὐ γὰρ ἐγὼ δεδάηκα διακρῖναι καὶ ἀεῖσαι
οὔνομα θαρσαλέου κλυτὸν ἀνέρος κ. τ. λ.

Lange quod ipse absurdissimum dicit Christodoro adscribit, finxisse eum et adfuisse titulum et eum ipsum titulum legi non potuisse. nec iniuria quidem si quis de vera inscriptione ageret, eum prolaturum fuisse negat una cum Milonis Philonisque nominibus nomen multo amplius Philammonis [3]); at si tituli fracti aliquas reliquias fuisse existumemus (velut ≡ΙΛΩΝ≡), ut iure poeta inter Milonem et Philonem fluctuaret, nescio an hoc licentiae eidem condonandum sit, ut ex me-

---

1) saepe enim nomina Ἀλκμάων (Ἀλκμαίων) et Ἀλκμάν, cum unius nominis variae formae essent, commutabantur. cf. Jacobs adn. ad hunc locum. Welcker Alcman. pp. 1. 39.

2) Lange errore p. 112 hunc omnium recentissimum vocat, qui in Zeuxippo statua ornatus fuerit; at multi in ecphrasi commemorantur illo Homero recentiores, recentissimus Appuleius Magus (vv. 303 sqq.)

3) cf. quae de his luctatoribus Jacobsius adnotat.

moria sua athletam tertium cuius nomen ex parte iisdem litteris efficitur, ad exornandam sententiam addiderit. similia in Ausonii epigrammate leguntur, quod non sine fructu cum his versibus comparamus [1]): ut apud Christodorum Philammo iuxta Milonem Philonemque commemoratur, sic apud Ausonium iuxta Marium Marciumque Metellus.

His locis spero me comprobasse nomina statuis iam ante Christodorum quocunque modo indita fuisse. accedit quod ubique poeta titulos statuarum tam breviter certeque pronuntiat, ut nihil ipsum ad constituendos eos contulisse appareat. immo nonnulla signa dubitasse videtur essentne recte nominata: vide quam artificiose coronam lauream, qua Amphitryon ornatus πᾶσιν μὲν εὔσκοπος εἴδετο μάντις (v. 368) interpretatus sit, quomodo vv. 56 sqq. 192 sqq. Pyrrhi, v. 212 Aiacis Locri, vv. 271 sq. Aiacis Telamonii, v. 292 Achillis inermitatem narret. nonne elucet nomina statuarum quae profert, aliquot ei summopere displicuisse? itaque mihi quidem persuasum est, a Christodoro haec nomina non esse inventa: iam dudum signis indita fuisse certissime eo evincitur, quod quamvis addubitata ut mutaret nunquam sibi sumpsit.

Si quis quaerat hoc loco quomodo nomina Christodoro tradita putemus statuas iconicas quidem infra dicturus sum aut omnes aut magna ex parte genuinis titulis instructas in Zeuxippum pervenisse, reliquas longe verisimillimum mihi videtur, ubi primum in Zeuxippo collocatae sint, etiam nomina accepisse incisa basibus.

Relinquitur ut videamus rectene scienterque a nomenclatore illo tituli facti sint necne. Lange l. l. p. 124 ex LXXX statuis novem tantum nomina non suspecta prae se ferre contendit, reliquas omnes aut perverse denominatas esse aut parcius descriptas, quam ut res decerni possit. rationem ad quam singulorum signorum descriptiones exigit, ipse his verbis profitetur [2]): id unum quaerendum esse, concinat nomen a Christodoro relatum cum eo, quod nos pro nostra

---

1) 'De nomine cuiusdam Lucii sculpto in marmore' epigr. XXXV edit. Bipont.

2) l. l. p. 114.

interpretandi arte statuae tribuamus, necne. si minus concinat, falsum esse et aliud nomen substituendum.

Quam non probanda sit haec viri docti ratio ex eis apparet quae supra §. 3 de Christodori descriptione universa exposui. nimirum Lange non tam propter pauca ea quae dicuntur ac plerumque titulis optime conveniunt, hos respuit, quam propter ea, quae in poetae oratione ipse desiderat et nisi in statuis quoque defuissent, Christodorum non omissurum fuisse opinatur; quasi id hic egerit, ut absolutas ederet descriptiones, aut membratim signa enarraret. itaque ne ea quidem nomina, quae Lange traditorum loco nonnullis signis tribuere conatus est, utpote ex ipsis illis Christodori declamationibus ficta, ullius sunt pretii.

Alia argumenta circumspicientibus nobis primum ea occurrunt, quae alii scriptores de Zeuxippi statuis tradiderunt; at ex loco uberrimo Cedreni p. 648 nil discimus nisi Homeri statuam, quam Christodorus LX versibus celebravit, re vera fuisse omnium praeclarissimam; neque alter locus supra[1]) memoratus chronici pasch. p. 595 quidquam prodest.

Unum restat, ut ex titulis ipsis auctoritatem eorum iudicemus[2]). quocirca iam enumerabo statuas, quae tribus generibus deorum, heroum, virorum illustrium commode subiunguntur.

I. Dii:

Neptunus, Apollines tres, Veneres totidem, Mercurius, Diana, Hercules.

II. Heroes et heroinae:

a) ex cyclo iliaco:

Achilles, Aias Telamonius, Aias Locrus, Ulixes, Menelaus, Pyrrhi duo, Calchas, Chryses. — Helena.

Paris, Aeneas, Deïphobus, Helenus, Sarpedon, quattuor senes (Panthous, Thymoetes, Lampon, Clytius). — Hecuba, Andromache, Polyxena, Cassandra, Creusa, Oenone.

---

1) cf. p. 8.

2) Langius quoque in hanc partem disputavit neque vero ita, ut oportuit.

b) ex aliis cyclis:

Amphitryon, Amphiaraus.

Melampus, Polyidus, Aglaos (?).

Dares, Entellus.

Auge. Amymone.

III. Viri feminaeque illustres:

Homerus, Hesiodus, Palaephatus, Terpander, Alcman, Sappho, Erinna, Stesichorus, Pindarus, Simonides, Euripides, Cratinus, Menander, Homerus Byzantius. — Vergilius, Appuleius.

Anaximenes, Pherecydes, Pythagoras, Heraclitus, Democritus, Plato, Aristoteles.

Herodotus, Thucydides, Xenophon.

Pericles, Alcibiades, Isocrates, Charidemus, Demosthenes, Aeschines. — Pompeius, Caesar.

Quibus accedunt sine nomine hermaphroditus et incerti nominis pugil.

Deos quidem etiam recentissima aetate artium iudicem recte et ab hominibus heroibusque et inter ipsos distinxisse facile nobis persuademus. magis idoneae ad fidem titulorum examinandam heroum statuae sunt, quas sic disposui, ut quo tendam facile intellegas: iure enim miraberis, quod omnes fere heroes et heroinae ad iliacum cyclum pertinent, ex reliquis Amphitryon, Amphiaraus, Melampus, Polyidus item in Homeri carminibus commemorantur. nonne conexus hic nominum summopere offendit in statuis, quas ex diversissimis imperii Romani provinciis Byzantium congestas esse scimus? accedit aliud quod suspicionem movet: quamvis enim sollerter Graeci ex parvulis quibusdam notis, quemnam statua quaelibet repraesentaret, perspexerint[1]), tamen non pauci heroes fuisse in Zeuxippo effricti dicuntur, quos eiusmodi notis designari potuisse negandum est. an tu putas Oenonen et Creusam tam saepe ab artificibus expressas esse, ut certae notulae circumferrentur, quibus statuas earum unus quisque homo artis peritus agnosceret? quid vero de quattuor illis senibus

---

1) cf. Plutarch. vit. Arat. c. 3.

troianis dicam, quorum statuae inde a v. 246 describuntur[1])? cum vix credi possit heroes tam obscuros unquam ab ullo sculptore effictos esse, tum Il. Γ v. 146 sq., quem iam alii cum Christodori loco contulerunt:

οἱ δ' ἀμφὶ Πρίαμον καὶ Πάνθοον ἠδὲ Θυμοίτην
Λάμπον τε Κλυτίον θ' Ἱκετάονά τ', ὄζον Ἄρηος

certissime comprobatur nomenclatorem in his signis Homeri potius locum quam statuas ipsas respexisse. quodsi recte a nobis disputatum est, iam omnes reliquos eiusdem generis titulos in dubium vocemus licet; quid quod ne eae quidem statuae, quae facillime certa ratione denotari poterant, recte ab illo denominatae videntur? an Aiacem Telamonium effictum esse imberbem credamus? neque eis statuis[2]), quae non ex Homero nomen tulerunt, fraudis suspicio imminuitur. Amymones enim et Auges statuas, cum proximae a Neptuni Herculisque signis stetisse dicantur, propter maritorum vicinitatem[3]) his nominibus praeditas esse contendam. Daretis autem Entellique ex solo Vergilio notis nominibus ut pugilum statuas ille designaret, nescio an ipsius Vergilii statua item in Zeuxippo collocata commotus sit. itaque de titulis heroicis Langio plane assentior.

---

1) in codice Palatino hoc ordine enumerantur:
Panthous
Thymoetes
Clytius B
Isocrates Γ
Lampon A
Amphiaraus Δ, quem ordinem lemmatorum auctor literis A-Δ adscriptis ita permutavit, ut respondeat exacte versui Iliadis. parum interest utrum nomenclatori cum Homero discrepantem hunc ordinem tribuamus, an librarii codicis Palatini socordiae.

2) de Aglao cf. Jacobsii adnotationem ad vv. 263 sqq.

3) miror neminem adhuc observasse plerumque in Zeuxippo statuas virorum feminarumque alternas dispositas fuisse; quo facto is qui nomina iis dedit quam maxime studuit, ut binas vicinitate iunctas effigies titulis quoque conecteret. praefracte equidem nego ex his statuis binas eadem basi sic impositas fuisse ut symplegma (nos dicimus ‚*Gruppe*') efficerent.

Restant statuae virorum illustrium, de quibus non prorsus idem valere vel ex eo consequitur, quod iconicis simulacris semper titulos additos esse constat. obiciat aliquis, cum bases plerumque non una cum statuis auferrentur, titulos ibidem ubi bases remansisse. at in statuis ipsis quoque persaepe nomina insculpta erant [1]), ut optimo iure huic et illi ex Zeuxippi simulacris iconicis pristinum nomen adhaesisse ponamus [2]). concedendum quidem est eum, qui titulos mythicos tanta insolentia ex Homero sumpserit, etiam virorum illustrium nomina similiter fingere potuisse. at, ut multa ex his nominibus eaque ad clarissimos homines pertinentia [3]) facile ille commentus sit, tamen nonnulli hic aere expressi dicuntur, quibus cum omnino statuas positas esse non negemus, certe quomodo eorum nominibus incerta signa vocata sint Constantini temporibus, non intellegamus: Anaximenen dico, Pherecyden, Charidemum alios. id quoque notandum est quod medios inter Graecos Pompeius, Caesar, Vergilius, Appuleius commemorantur; similiter saepius medios inter heroes simulacrum iconicum describitur: sic Sappho (v. 69 sqq.) sic Charidemus (v. 241 sqq.) sic Isocrates (v. 256 sqq.) [4]) circumdati sunt figuris ex Homero aut aliunde denominatis, quod ita explico, ut his statuis veteres titulos servatos fuisse contendam, quos mutare nomenclator non ausus sit.

§. 6. Denique unde sua hauserit Christodorus significare mihi liceat. ac primum quidem quae de viris illustribus apud illum leguntur, adeo communia et vaga sunt [5]), ut de auctoribus certi nihil dici possit. de mythis vero si quaerimus,

---

1) e. gr. in Posidippi statua. Visconti Mus. Pio-Clement. III. tab. 16.

2) cf. supra p. 15, quae de pugile incerto exposui.

3) qui desiderantur (ut Aeschylus et Sophocles) in deperdita ecphrasis parte celebratos fuisse aliquis suspicetur.

4) eo magis miramur hoc rhetoris nomen statuam prae se ferre, quo magis nomenclator Homeri loco, ut Hicetaonem eam denominaret, perduci potuit.

5) nisi quod fabula de Stesichoro et luscinia praeter ecphrasis vv. 128—30 a solo Plinio (N. H. X, 43) narratur sed ita narratur, ut notissimam eam fuisse eluceat.

cum nomenclator fere sola Homeri notitia imbutus nomina imaginum condidisse videatur, alia indoles fuit Christodori, qui eruditi poetae speciem prae se fert atque etiam recentiores mythorum formas cognitas habuit. Deiphobus ante aedes Menelaum exspectans nescimus a quo inductus sit; cum Vergilius et Quintus Smyrnaeus qui soli de hac pugna plura tradunt, in lecto eum a Graeco oppressum esse dicant, credibile est Christodorum ipsum ut statum corporis, quem simulacrum exhibebat, apte interpretaretur, illam fabulae speciem effinxisse. de Heleno transfuga quae narrantur [1]), neque apud Homerum neque apud tragicos exstant, sed multo recentioribus debentur [2]). item de Cassandra patri infesta recentiores [3]) tantum rettulerunt. porro de Polyxena ab Achille adamata mythum quem primus Philostratus commemorat [4]), partem epici cycli effecisse Welckerus [5]) praeclare negavit; neque Oenonen Christodorus non depinxit ad novissimum mythi exemplar [6]). in reliquis heroum statuis aut ad Homerum se applicat poeta, aut nimis pauca profert. at illa sufficiunt ni fallor, ut Christodorum praeter Homerum recentiores quoque epicos secutum affirmemus; profecto non fuisset homo saeculi quinti p. Chr. n., nisi quoad fieri poterat, simplicibus lucidisque Homeri narrationibus artificiosas et maxime eroticas praetulisset, quae inde ab Alexandrinis vetustos mythos magis magisque profligarunt.

---

1) v. 155 codicum lectio πατρὶ δὲ νηλής Boissonadii coniecturae πατρίδι ea quoque de causa praeferenda est, quia Priamus in recentiore mythi versione gravem personam sustinet.

2) cf. Verg. Aen. III, 294—490. Quint. Smyrn. X, 345 sqq. Orph. Lith. XI, 352. Triph. 45—50. 133 sqq. Dictys IV, 18.

3) Quint. XII, 540 sqq. Triph. 376 sqq. Tzetz. ad Lyc. 350.

4) Her. XIX, 11.

5) tragoed. graec. I, 183.

6) Quint. X, 262—488.

II.

De re metrica.

Haec de rebus quas tractandas sibi proposuit poeta; iam ad formam accedamus, qua sententias suas incluserit, ac primum quidem pleniorem rei metricae cognitionem assequamur. qua in re Christodorum Nonni sectatorem fuisse dudum constat: at quemadmodum illum secutus sit, nondum satis exploratum est. cum hoc perscrutandum suscepturus sim, tum aliud etiam temptabo; quamvis enim multa[1] de metricis Nonni proprietatibus a viris doctis perquisita sint, tamen non in unum locum collata neque ita disposita ea invenias, ut absoluta rei imago efficiatur. itaque et quaecumque ad delineandam hanc imaginem usui sunt, undique congeram et cum metricis Nonni legibus sic quam accuratissime constitutis Christodori artem ubique comparabo.

§. 1. Initium faciam a caesuris, quarum ex usu uniuscuiusque poetae ars et ingenium luculentissime perspiciuntur. hic iam proferam, quod ad universam Nonnianorum rem metricam spectat: leges quibus caesurarum usum circumscripse-

---

1) commemoranda sunt prae ceteris:
G. Hermann: Orphica.
Wernicke: ad Triphiodorum.
E. Gerhard: lectiones Apollonianae.
C. Lehrs: quaestiones epicae.
R. Volkmann: commentationes epicae.
Ludwich: symbol. critic. ad Nonnum.
Scheindler: quaestiones Nonnianae.
Tiedke: quaestiones Nonnianae.
aliorum observationes in annalibus philologicis editae suo quoque loco indicabuntur.

runt non subito illi invenerunt, sed ab antiquioribus diu praeparatas perfecerunt tantum; Homeri enim ac magis etiam Alexandrinorum rationes plerumque ita consummaverunt, ut quae illi raro admisissent ipsi summa severitate devitarent [1]).

Ac primum quidem constat Nonnum Nonnique sectam nullum versum admisisse, quin pes tertius aut caesura κατὰ τρίτον τροχαῖον quae vocatur, aut penthemimere incideretur. itaque tabellam, quam de caesuris Christodori propositurus sum, bipertitam esse non miraberis:

caesuras exhibent versus formae:	A. praeter caesuram III. p. femin.								B. praeter caes. III. p. mascul.					
	nullam.	trithemimeren.	hephthemimeren.	bucolicam.	trith. et hephth.	trith. et bucol.	hephth. et bucol.	trithem. hephth. bucol.	hephthemimeren.	bucolicam.	trith. et hephth.	trithem. et bucol.	hephth. et bucolic.	trith. hephth. bucol.
d d d d d [2])	**1.**	**14.**	**4.**	**28.**	**8.**	**40.**	**2.**	**4.**	**2.**	**11.**	—	**9.**	**4.**	**3.**
	7.[3])	14.	7.	27.	9.	35.	4.	10.	2.	19.	1.	5.	2.	2.
d s d d d	**2.**	**8.**	**10.**	**19.**	**5.**	**29.**	**4.**	**5.**	**2.**	**15.**	—	**1.**	**6.**	**2.**
	4.	13.	5.	15.	7.	31.	4.	4.	1.	17.	—	4.	2.	—
s d d d d	**1.**	**2.**	**3.**	**8.**	**4.**	**21.**	**2.**	**2.**	—	**9.**	**1.**	**4.**	**2.**	—
	1.	9.	—	4.	3.	10.	3.	5.	1.	—	1.	3.	—	2.
d d d s d	**8.**	**10.**	**5.**	—	**10.**	—	—	**3.**	**4.**	—	**3.**	—	—	—
	12.	26.	4.	—	17.	—	1.	—	4.	—	1.	—	—	—
d s d s d	**6.**	**8.**	**5.**	—	**5.**	**1.**	**1.**	—	**3.**	—	—	—	**1.**	—
	10.	12.	8.	—	6.	1.	—	—	—	—	—	—	—	1.
s d d s d	**3.**	**5.**	**6.**	**1.**	**2.**	**1.**	—	**1.**	—	—	**1.**	—	—	—
	2.	7.	4.	—	—	—	—	—	—	—	1.	—	—	—
d d s d d									—	**8.**	—	**2.**	—	—
									—	1.	—	3.	—	—
s d s d d									—	**3.**	—	—	—	—
									—	1.	—	—	—	—
d s s d d									—	**9.**	—	**2.**	—	—
									—	1.	—	—	—	—
s s d d d									—	**1.**	—	—	—	—
s s s d d									—	—	—	**1.**	—	—
in summa	**21.**	**47.**	**33.**	**56.**	**34.**	**92.**	**9.**	**15.**	**11.**	**56.**	**5.**	**19.**	**13.**	**5.**
in versibus	36.	81.	28.	46.	42.	77.	12.	19.	8.	39.	4.	15.	4.	5.

1) cf. Hermann l. l. p. 729. Gerhard l. l. p. 203. Volkmann l. l. p. 10. Tiedke l. l. p. 39 sqq.

2) per *d* dactylum, per *s* spondeum significari volui.

3) numeri exiliores ex Nonni Dion. I, 1—416 sumpti sunt quos in comparationem addendos esse existumavi.

Femininam pedis tertii caesuram in 307 (341 [1])), masculinam in 109 (75) versibus invenimus, quocum conferas quod Tiedkio auctore sexta fere Nonni versuum pars caesuram exhibet semiquinariam, ceteri omnes trochaicam [2]). causa qua commoti hi poetae femininam pedis tertii incisionem tantopere praetulerint masculinae, nescio an inde repetenda sit, quod feminina caesura accuratius hexameter in aequales partes duas dividitur quam masculina [3]). fortasse ea quoque de causa penthemimeren rarius adhibebant, quia cum subito a dactylis ad anapaestos transitus fiat, numerus molestius interrumpitur [4]); certe hinc deductum est, quod neque apud Nonnum neque apud Christodorum versum invenimus sola penthemimere instructum: nempe masculina caesura, ne dactylicus numerus nimis turbaretur, aliis caesuris debilitanda erat ita ut aut bucolica addita numerus penthemimere interruptus in fine versus restitueretur, aut hephthemimere praeterea incidente attentus ad diversas versus partes animus numeri perturbationem singulis locis minus graviter ferret. at trochaicam pedis tertii caesuram solam exhibent 21 (36) ecphrasis versus.

In transcursu hic aliud tangam: perlustranti enim hos 21 (36) versus in 9 versibus [5]) caesura hephthemimeres, in 3 [6]) trithemimeres ita adhibita videbitur, ut inter duas vocabuli compositi particulas caesura incidat. quaeritur utrum eiusmodi caesurae ab his poetis perceptae sint auribus necne, quod mihi quidem negandum esse videtur. novem (26) enim versus, qui ex illis 21 restant nulla tali caesura incisi optime se habent, neque eos excepto versu 114 ex antiquiore poeta deri-

1) cancellis inclusos hic et infra numeros, quos ex Nonni Dionys. I, 1—416 congessi, praebeo.

2) minime eandem rationem inter masculas et femininas pedis tertii caesuras in Claudiani Gigantomachia intercedere videmus. cf. Mus. Rhen. XXXVI, 305.

3) eodem modo Scheindlerus stud. Vindob. 1880 p. 42 hanc rem explicat.

4) cf. Volkmann p. 8.

5) 64. 98. 170. 224. 302. 331. 358. 376. 408.

6) 15. 104. 310.

vatos esse demonstraveris. alius etiam caesurae versus in censum venire putavi: cum in Homeri hexametro trithemimeres et hephthemimeres coniunctae adesse soleant, eaedemque in Christodori versibus 34 (46) adsint, dicat aliquis in iis quoque versibus, qui aut praeter trithemimeren hephthemimere in verbo composito admissa (in vv. 13 [19]) aut praeter hephthemimeren eiusmodi caesura trithemimere (in vv. 5 [4]) secari potuerint, trithemimeren cum hephthemimere iunctam esse statuendam. at multo plures versus et solam hephthemimeren (versus 24 [32]) et solam trithemimeren (versus 39 [62]) tenent, ut ne hinc quidem de dubiis illis caesuris quicquam efficiatur.

Ex eis caesuris, quae praeter necessariam pedis tertii incisionem in Nonnianorum hexametris adesse solent, longe usitatissima ea est, quae bucolica vocatur [1]). apud Christodorum sola praeter caesuram necessariam legitur in 112 versibus, cum trithemimere iuncta in 121 versibus. accuratius quaerendum est, quid de iis versibus, qui vocabuli clausulam et in hephthemimeris et in bucolicae incisionis sede exhibent, statuamus: nam utramque sensibus perceptam esse prorsus negandum est. primum si pyrrhichio vocabulo thesis quarta efficitur, semper fere praevalet bucolica, id quod apud Christodorum in 26 (9) ex 36 (30) versibus interpunctione certissime indicatur; de solis versibus 369, 407 dubites, ubi propter sensum hephthemimeren praeferres, nisi nimis prope adstaret tertii pedis caesurae etiam interpunctione corroboratae. sin longa syllaba thesis quarta efficitur [2]), quod in 6 (2) versibus Christodori invenitur, sensu ubique hephthemimeres flagitatur; in tribus ex his 6 versibus etiam interpungitur in sede hephthemimeris.

---

1) cf. quae G. Kaibel comment. in honorem Momms. p. 326 sqq. de hac diaeresi in epigrammatis Callimachi et recentiorum usitatissima sagaciter animadvertit.

2) et apud Nonnum et in Christodori carmine semper fere (excepto v. 176, ubi τίς legitur) καὶ aut οὐ hoc versus loco extant cum eo quod sequitur vocabulo tam arte iuncta, ut bucolica diaeresis non sentiatur.

Ex reliquis dactylicis diaeresibus praeter bucolicam usitatissimae erant pedibus primo et quinto absolutis, rariores post pedem alterum (apud Christodorum in 17 (42) versibus) et tertium; hoc posteriore loco diaeresis usus certis quibusdam legibus circumscriptus erat [1]): in huiusmodi enim versibus aut caesura post tertium trochaeum adest (in vv. 17) aut interpunctio post arsin tertiam (in vv. 4), aut vocabulum, quo pes quartus efficitur, artissime cum eo, quo pes tertius finitur, cohaeret (in vv. 8); ad summam ita tantum haec diaeresis admittitur, ut quam minime sentiatur.

Inter caesuras masculinas trithemimeren his poetis adeo in deliciis fuisse, ut praeter bucolicam diaeresin et necessariam pedis tertii caesuram saepissime adsit, a viris doctis non satis observatum esse video. quae incisio etiamsi non eam vim habet, ut sola praeter penthemimeren versum rectum efficiat, praeter caesuram trochaicam sola adest in 47 (81) versibus, cum aliis iuncta in 170 (223) versibus, et quod magis etiam animadvertendum est, in 36 (21) versibus hoc loco interpunctio fit, nec pusilla tantum [2]). contra hephthemimeris usus si comparatur cum trithemimere et bucolica satis parcus fuisse videtur. sane ab usitatissima pedis tertii caesura trochaica nimis prope distat; atque etiam mascula caesura adhibita longiore quam trisyllabo vocabulo usque ad quartum dactylum iam Alexandrini poetae [3]) ordinem proximum continuare solebant. saepe adest haec mascula caesura in pede primo, nec non in pede quinto, ubi antecedere solet vocabulum quattuor (in vv. 9 [34]) aut plurium syllabarum (in vv. 9 [20]), vitatis anapaesticis et spondiacis vocabulis [4]). in iis versibus (54) qui bucolica diaeresi incisi monosyllabum cum sequentibus arte coniunctum in arsi quinta exhibent, mascula caesura non sentitur. denique post arsin sextam nonnunquam caesura fit: at monosyllabo, quo sic versus clauditur, aut choriambicum vocabulum aut monosyllabum cum

---

1) Tiedke l. l. p. 38. Volkmann l. l. p. 11.
2) cf. vv. 14. 166. 174. 183. 201. 278. 285. 368.
3) cf. Volkmann l. l. p. 13 sq.
4) Volkmann p. 12.

anapaestico choriambum explens antecedere adsolent: duo vero monosyllaba versus clausulam efficere nequeunt[1]).

Trochaicae caesurae frequentes sunt in pedibus I. III. V., in primo pede trochaicam caesuram a Nonno vitatam esse Volkmannus[2]) contendit, si sextum quoque hexametri locum trochaeus obtineat. cui legi cum et ex 71 Christodori versibus, qui a vocabulo trochaico incipiunt, 8 obstent neque quae ratio inter trochaeum primum et sextum intercedat, definiri possit, illud inde quod trochaeus omnino in versus clausula quam maxime vitatus est repetendum existumo. ne altera quidem Volkmanni observatio novi quidquam affert dicentis trochaica pedis alterius caesura Nonnum abstinuisse, nisi dactylo in primo pede praecedente (apud Christodorum post dactylum eam inveni in 38 (26) versibus, post spondeum in 25 (8) versibus): nimirum spondeus, cum in omnibus pedibus, tum in primo multo rarius dactylo admissus est. trochaica pedis quarti incisione ab Homero raro tantum adhibita plane abstinuerunt hi poetae[3]).

Denique monebo, quod in tantis artificiis poesis sane notatu dignum videtur, Christodorum saepissime eandem versus structuram per binos aut ternos versus continuasse; et eadem hexametri forma et eisdem caesuris in his versibus continuis usus est: 5—7, 10. 11, 38. 39, 51. 52, 94. 95, 99. 100, 139. 140, 165. 166, 197. 198, 219. 220, 367. 368, 391. 392, 398. 399[4]). alterutrum in versibus continuis quotiens repetatur enumerare longum est. eadem socordia in dictione quoque Christodorum fuisse infra exponam.

§. 2. Ex 32 hexametri formis Homero usitatis 9 tantum a Nonnianis plerumque usurpantur, quas ex Christodoro pro frequentia exemplorum dispositas p. 23 exscripsi[5]). exi-

1) Volkmann ibid.

2) l. l. p. 10.

3) cf. Hermann l. l. p. 692. solus Claudianus semel hanc diaeresin admisit. cf. Mus. Rhen. XXXVI, 306.

4) Nonnus in Dionys. I, 1—416 tales repetitiones admisit 14.

5) animadvertas quam accurate formarum in hac tabella ordo ei ordini respondeat, quem Ludwich l. l. p. 48 ex Nonni carminibus constituit.

guam hanc formarum varietatem spondeorum usu apud hos poetas summopere restricto effici nemo non perspicit. quae res unde derivanda sit sub iudice lis est: nam cum Hermannus alii[1]) sponte Nonnum, ut incitaret versuum cursum ‚spondeorum pondus cum dactylorum volubilitate' commutasse existiment, Volkmannus[2]) amorem trochaicae pedis tertii caesurae in causa fuisse arbitratur: hac enim caesura adhibita inde ab Homero in omnibus pedibus dactylos spondeis esse praelatos.

Quod utut est spondeorum usum apud Nonnum eiusque sectatores multo artioribus finibus quam apud antiquiores poetas contineri apparet[3]): frequentissimi adsunt in pedibus paribus, minus frequentes in pede primo et tertio, prorsus vitantur in pede quinto. ac ne in continuis quidem pedibus spondei admittuntur, secundo tertioque exceptis, ubi cum propter caesuram pedis tertii alter spondeus vix animadvertatur, haud raro continuantur.

Duo tantum Christodori versus hexametri formas a Nonno alienas exhibent, ex quibus v. 145

Αἰνεία Τρώων βουληφόρε· σαῖς γὰρ ὀπωπαῖς

cum tres spondeos continuos praebeat, non ferendus esset, nisi Homeri imitatione defenderetur: quattuor enim primi pedes ex Iliade (Ε 180. Ν 463. Ρ 485) translati sunt. alter versus est v. 72

Φοῖβος δ' εἱστήκει τριποδηλάλος· ἦν δ' ἄρα χαίτης[4])

cuius formae (ssddd) paucissima exempla ex Nonni codicibus deprompta dudum Wernicke[5]) emendavit uno versu Dion. XIV, 187 excepto

---

1) l. l. p. 690. cf. etiam Ludwich. l. l. p. 47. annal. philol. vol. CIX. p. 236.

2) l. l. p. 16.

3) fortasse iuvat hic adnotare ex Homeri licentia severum Nonni usum non continuo ortum esse. velut iam Callimachus, cum ex 32 homerici hexametri formis 15 tantum admitteret (Benecke: de arte metrica Callim. p. 22) dactylicam versus structuram valde adamasse videtur. de bucolicis inferioribus cf. Buecheler Mus. Rh. XXX p. 34.

4) ν a correctore superscriptum est.

5) l. l. p. 39. 312 sqq.

Σπαρτεύς τε Γληνεύς τε χοροίτυπος ἀλλοφυὴς δέ
qui duobus nominibus propriis ante penthemimeren positis nonnihil excusatur[1]). at ne hunc quidem ecphrasis versum, etiamsi caret illa excusatione, coniectura sanari oportet: nam εἱστήκει defenditur vv. 160. 254. 263. 361, neque pro Φοῖβος aliud dei nomen (e. gr. Δήλιος) substituendum esse mihi persuadeas. solus Triphiodorus ex Nonni sectatoribus saepius hac hexametri forma (ssddd) usus est[2]), ne Nonnus quidem in argumentis librorum plane abstinuit[3]). quamquam me non fugit, hinc versui 72 excusationem non parari idoneam, Homeri locum, ex quo versum expressum dicerem, frustra quaesivi.

Iam quomodo in singulis pedibus spondei a Nonnianis admissi sint, paulo accuratius exponam. si prima hexametri thesis longa sit, primum ordinem metricum per molossum plerumque effici Volkmannus[4]) contendit: at ex 77 (56) versibus, quorum pes primus spondeus est, 28 (35) tantum molossum exhibent, 44 (17) spondiacum vocabulum, ut illam quidem legem non fuisse appareat. si pes secundus spondeum continet Volkmannus[5]) priorem versus partem una tantum caesura minore incidi probasse sibi videtur: quae lex cum a Christodoro in 39 ex 149 versibus, a Nonno (Dion. I, 1—416) in 67 ex 144 versibus prorsus neglegatur, vereor ne perverse circumscripta sit. ac ne Wernickius[6]) quidem recte hos poetas in pede altero aut bisyllabo spondiaco aut duobus longis monosyllabis abstinuisse arbitratur. sed omnino post alterius pedis spondeum diaeresin non admittunt. pauci tantum Christodori versus huic praecepto resistunt: v. 1 (Δηΐφοβος μέν) cui ex nomine proprio aliqua excusatio paratur, v. 307 (ἀλλ'

1) cf. Ludwich. l. l. p. 43 sq.

2) cf. vv. 57. 60. 72 alios. praeterea Claudianus saepius et hanc et alias a Nonno vitatas hexametri formas (ddsds, sdsds) admisit. cf. Mus. Rhen. XXXVI, 305.

3) cf. Koechly ad argum. l. XXV.

4) l. l. p. 24.

5) l. l. p. 25.

6) l. l. p. 39.

οὐ) et v. 403 (ἀνήρ, ὅς) ubi οὐ et ὅς voculae artissime cum sequentibus cohaerent[1]). quem ad finem Nonniani hac lege versus suos incluserint, facile est cognitu: molestissime enim tam gravi diaeresi brevi ante caesuram necessariam admissa versus tardaretur. tertium pedem si spondeus efficit, ab eiusdem pedis thesi ionicus a maiore incipere solet[2]), quem in 24 Christodori versibus re vera adesse videmus. omnino non admissus est spondeus a Nonnianis ante diaeresin bucolicam: solus ecphrasis versus 375 (καὶ αὐτῶν) aliis quoque de causis[3]) corrigendus est. Denique hic notatu dignum existumo, inter binas caesuras masculas spondeum ubique vitatum esse. de penthemimere et hephthemimere nunquam sic coniugatis, ut spondeus intercedat, iam Wernicke[4]), de mascula pedis quinti incisione post spondiacum vocabulum non admissa Tiedke[5]) egit. at ne inter primi quidem et secundi pedis arsin, aut inter secundi et tertii pedis arsin spondeum libenter adhibent.

§. 3. Poeticam elisionis licentiam Nonnus ita restrinxit, ut coniunctiones tantum et praepositiones apostropho afficeret[6]), i. e. ea vocabula, quae nisi ubique adhiberi possunt omnis poetica dictio tolleretur. nimirum δ' pro δέ, quo adempto epicum carmen vix cogitari potest, saepissime a Nonnianis quoque usurpatur. Christodorus, cui in ecphrasi permultae res enumerandae essent, vocula huic negotio quam maxime convenienti sexcenties usus apostropho eam affecit:

post arsin pedum I, II, IV, V in 37 (7) versibus
post thesin priorem pedum I et V in 7 (—) versibus
post thesin posteriorem pedum I, III, V in 10 (2) versibus.

---

1) ex Nonni Dion. I. v. 260 (ὁμοῦ καί) et v. 369 (βόας καί) coniunctionis καί natura satis defenduntur.

2) cf. Volkmann l. l. p. 25.

3) vide infra p. 42.

4) l. l. p. 38.

5) l. l. p. 15. quae Christodorus contra hanc legem peccasse videtur (vv. 99. 147. 288) formula homerica (χρυσῆν Ἀφροδίτην) excusantur.

6) Ludwich. l. l. p. 18 sqq. Gerhard l. l. p. 220.

accedunt 12 (3) versus, ubi elisa post spondeum pedis primi legitur. de uno versu 39 dubitatur, sitne in pede tertio δὲ βιάζετο, quod codex Palatinus praebet, an quod Planudes δ' ἐβιάζετο scribendum; illud Tiedke[1]) ut mihi quidem videtur optimo iure contra Scheindlerum[2]) defendit, quoniam sic caesura existit pedis tertii trochaica.

ἀλλά elisionem patitur in arsi pedum I, II, V in 24 Christodori versibus, semel v. 329 in thesi pedis alterius[3]).

οὐδ' bis in arsi II, ter in arsi V.

ἐπ' semel in posteriore thesi pedis II, bis in eadem thesi pedis tertii occurrit. item reliquae praepositiones, quas enumeraturus sum, in posteriore thesi elisione afficiuntur:

ἀπό semel in pede III.

παρά bis ibidem.

κατά semel in pede I., semel in pede tertio. denique ἄρα semel in thesi quinta.

Itaque aut in arsi, aut in thesi posteriore has elisiones adhibitas videmus, nisi quod δέ septies post priorem thesin apostrophum patitur[4]). in loco caesurae necessariae, i. e. post arsin aut priorem thesin pedis tertii elisiones plane vitatae sunt.

In duobus versibus Christodorus elisiones admisit alienas ab usu Nonni

v. 10 ὑψόσ' ἄειρεν et

v. 86 Χρύσης δ' αὖθ' ἱερεύς.

at illic formulam homericam (cf. K, 405. Y, 325, ι, 240, 340. μ, 249) poeta adhibuit, hic totum hemistichium ex Iliade (A, 370) derivavit.

Praeter eas elisiones, quas ex Christodoro congessi, alias quasdam (ὅτ', ποτ', μήτ', εἴτ', οὐκέτ', ἵν', ἔνθ', ὧδ', ἀμφ', ἀντ', δι', μετ', ὑπ') Nonnus exhibet, quas in brevi ecphrasi non item inveniri non mirabile est; requiras forsitan

---

1) Hermae tom. XV. p. 435.

2) annal. gymnas. Austriac. 1879 p. 428 sq.

3) cf. Nonn. Θ, 63.

4) cf. quae Ludwich in Mus. Rhen. t. XXXV p. 500 sqq. de hac re exposuit.

τ' ex τε ortum, quod Nonnus saepissime adhibuit, Christodorus autem et Ioannes Gazaeus consilio devitasse videntur.

§. 4. Hiatus quem recte sic appellaveris oritur, ubi vocabuli in vocalem exeuntis ultima syllaba ante vocalem, a qua sequens verbum incipit, non est in arsi, neque si longa est, corripitur [1]). quod hiatus genus cum recentissimus quisque poeta maxime fugisset, Nonnus iam plane exclusit ex hexametro; eius hiatus exempla in codicibus tradita nullo negotio emaculantur. Christodorum magistri legem severissime observasse apparet: ac primum quidem brevis vocalis ante vocalem nusquam manet, nisi ante ἑ (vv. 30. 43) et οἱ (vv. 90. 233. 348), in quibus pristinum F eandem vim, quam Homero praestiterat etiam his poetis insciis obtinebat [2]). homericam formulam κλέα ἀνδρῶν Christodorus Apollonium secutus [3]) v. 378 in κλέα φωτῶν mutavit, eodem hiatus odio v. 140 pro ἐπωμαδόν inusitatum hoc sensu κατωμαδόν usurpavit.

Neque longam vocalem ante vocalem in thesi non corripuit: quod versu 58 legitur τὰ μή [μιν Pal.] οἱ ὤπασε τέχνη dudum Iacobsius in τὰ μὴ ἑοῖ ὤπασε τέχνη corrigendum esse demonstravit [4]).

Iam ad eos vocalium in confiniis verborum concursus pervenio, qui cum antiquis epicis minime vitiosi visi essent, ab his recentissimis nimia anxietate vitabantur. ut de singulis exponam, ne in arsi quidem vocalis longa ante vocalem non correpta placuit [5]). etiamsi non omnes versus Nonnici, quibus hunc hiatum codices adserunt, recte a Wernickio [6]) Lehrsio, aliis emendati esse videntur [7]), tamen exiguus

---

1) cf. Hermann l. l. p. 720.

2) Hermann l. l. p. 774.

3) cf. Gerhard l. l. p. 84.

4) poeta idem (praefat. Anthol. p. XXXVIII adn. 39.) ab hac emendatione miro modo depulsus est exemplis eis, quae cum in arsi, non in thesi οἱ exhibeant, in hanc rem non faciunt.

5) cf. Lehrs. l. l. p. 264 sqq. Volkmann l. l. p. 36.

6) l. l. p. 484 sqq.

7) e. gr. Dion. XXXVIII, 278 φυλλοχόῳ ἐνὶ μηνί satis Apollonii imitatione (IV, 217) defendi neque in φυλλοχόῳ τινὶ μηνί mutandum censeo.

exemplorum numerus certissime indicat in universum vitatum eum esse praeterquam in formulis quibusdam communi usu sanctis. ex Christodoro huc pertinent:

v. 1. ἐϋγλύπτῳ ἐπὶ βωμῷ cum hiatu in pede quinto. cf. simillima apud Homerum (η, 100) Triphiodorum (vv. 445. 446.) Paulum Silentiarium (ambon. v. 131). hic et infra v. 177 praepositio proclitice cum vocabulo insequenti iuncta efficit, ut vocales, in quibus hiatus inest, paulo magis seiungantur[1]).

v. 135. εὖ εἰδώς in initio versus, quam Homeri formulam Nonnus quoque (Dion. I, 8) adhibuit, praeterea Triphiodorus v. 173.

v. 177. ἀφωνήτῳ ἐνὶ κόσμῳ cum hiatu in pede quinto. conferas Triphiodori v. 296.

v. 251. ἀχνυμένῳ ἐναλίγκιος et v. 335 ἀλαῷ ἐναλίγκιος in arsi pedis tertii, ubi propter caesuram vocalium concursus minus ad aures accidit. nihilominus frustra similia in Nonni carminibus quaesivi[2]).

Tres loci accedunt, ubi vocabulum in hiatu monosyllabum est:

v. 54. ἢ ἔτι in pede quinto; quod cum nullus alius illius aetatis poeta sic posuerit nescio an mutandum sit in ἠέ τι (cf. Nicand. Alex. 232. 268. 306. 581. Maneth. II, 430).

v. 76. ἢ ὅτι in pede primo (cf. Oppian. Cyneg. I, 318. 319): ἢ ὅτε Nonnus bis admisit (Dion. XLII, 434. XLVIII, 481).

v. 300. τῷ ἔπι in pede primo: praecessit Nonnus Dion. XXVI, 192 (pede quinto)[3]).

Quod et apud Christodorum et apud reliquos Nonnianos[4]) hic hiatus monosyllaborum aut primam aut quintam arsin tenere solet, ex natura verborum derivandum est: quibus cum necessario et diaeresis et interpunctio antecedat, praeter primam quinta tantum arsis apta est bucolicam incisionem excipiens.

---

1) cf. Iacobs. addenda ad praefat. Anth. tom. III p. XIX sqq.

2) ex Homero E, 5 T, 250, ex Oppiani Cyneg. I, 620. Hal. IV, 84, ex Anthol. XI, 107 v. 3 conferri licet.

3) praepositionis natura hiatum debilitari Iacobsius loco adnot. 1. citato explicat.

4) Volkmann l. l. p. 37.

Non minus aegre poetae eos hiatus ferebant, qui correpta in thesi vocali longa aut diphthongo ante vocalem efficiuntur. Christodorus accurate Nonnum secutus in ultima brevi dactyli corripuit vocalem longam ante vocalem

in pede	I.	II.	III.	IV.	V.	
in	2	—	6	7	5	versibus.

sex in pede tertio exempla cum sola Nonni usui, qualem Lehrs[1]) descripsit, obstare videantur eo satis defenduntur, quod καί vocula ibi legitur; ea enim, sicut ἤ et μή, a Nonno quoque ubique corripi solet. unum hic animadvertas pedem secundum ut aliis licentiis, sic etiam hac plane vacare: iam Alexandrini alteram versus sedem ea vocis remissione, quam vocalis longa ante vocalem aut correpta aut non correpta efficit, quam maxime liberam esse voluerunt[2]), hoc ni fallor consilio, ne versus in sede delicatissima caesuram necessariam antecedente ulla mora tardaretur.

Rarius etiam in prima brevi dactyli longae vocalis ante vocalem correptionem Nonniani usurparunt eamque vix alio pede, quam primo[3]). ita Christodorus sexies in pede primo (vv. 33. 44. 118. 130. 198. 258), in pede quinto versu 231 καὶ ἀεῖσαι, cui ex καί, et versu 197 τίς τοι ἀνάγκη, cui ex formula homerica[4]) excusatio parata est. causam huius consuetudinis si quaerimus, primum quartus pes non magis quam sextus tali correptioni patuit. nec post tertium trochaeum propter caesuram legitimam vocalis longa ante vocalem corripi poterat. restant pedes primus, secundus, quintus, quorum secundum fastidiosissimum supra dixi; in primo vero multo saepius quam in quinto illam correptionem locum habuisse ei non mirum erit, qui primum hexametri pedem, cum summo vocis impetu pronuntiaretur, plurimis semper licentiis insignem fuisse meminerit[5]).

1) l. l. p. 267.

2) cf. Volkmann p. 37. 38.

3) paucissima exempla, quibus pede quinto Nonnus hac correptione usus est, Lehrsius l. l. p. 273 composuit.

4) cf. E, 633.

5) cf. Hilbergi leges I—IV in libro qui 'Das Princip der Sylbenwägung' inscribitur.

Etiam aliud animadvertendum est: perlustrantem enim vocabula, quorum syllabae finales vocali terminatae ante vocalem aut in arsi non corripiantur aut corripiantur in thesi, non fugiet praeter monosyllaba καὶ, ἢ, μή et ea, quae in primi pedis thesi priore corripiantur, verba tantum trisyllaba et tetrasyllaba, non bisyllaba inveniri. de causa huius rei ne dubites, valet apud hos quoque poetas metri necessitas, si quidem voces formae huius –⏑– vel ⏓–⏑– ut omnino in versum quadrent, ultima syllaba corripiendae sunt, cum bisyllabae etiam sine illa correptione versui implicari possint.

§. 5. Isidorus Hilberg in libro qui inscribitur 'Princip der Sylbenwägung', XIII leges de syllabarum finalium apud epicos usu proposuit, quarum legum septimam, octavam, undecimam, tertiam decimam Nonni eiusque imitatorum proprias esse vult. de ceteris alii viderint, equidem in has quattuor, quippe quae ad Christodorum quoque pertineant, diligentius inquiram. sunt autem hae:

I. brevis syllaba in vocalem exiens nunquam thesin spondei efficit[1]).

II. brevis syllaba in vocalem exiens arsin non efficit nisi in vocabulis pyrrhichiis aut talibus, quae alio modo in versum non quadrant. si in αι vel οι exit syllaba, arsin non tenet nisi in vocabulis iambicis aut eis, quae aliter hexametro resisterent, aut eis, quae initium versus occupant[2]).

III. brevis syllaba finalis consonanti terminata tum demum arsin occupat, cum aut alio modo non quadrat in versum, aut ad verba pertinet pyrrhichia, aut ea, a quibus versus incipit[3]).

IV. brevis syllaba finalis quae consonanti clauditur et longa syllaba finalis thesin spondiacam non tenent nisi in pede primo[4]).

Non solum id miramur, quod nulla ex his legibus propriam legis naturam exhibeat, sed magis etiam offendit, quod

---

1) Hilberg. l. l. p. 96.
2) l. l. p. 171.
3) l. l. p. 125.
4) l. l. p. 168.

quo consilio haec a Nonno observata sint, prorsus nequit intellegi. non dico de eis vocabulis, quae syllaba finali non producta omnino hexametro resisterent: haec Nonnum quoque non perpensis syllabis finalibus adhibuisse facile credideris. at quo iure Hilbergius vocabula pyrrhichia eodem modo a Nonno tractata esse contendit? quibus de causis proprio loco ea vocabula conlocat, quae initium versus occupant? de his rebus ille ne verbum quidem. praeterea monosyllaba non sine rei detrimento ab eo praeterita esse Scheindlerus iam vituperavit[1]. denique aegre fero, quod eas tantum syllabarum finalium productiones enumerat quas admisit Nonnus, sed vitatas ab illo quotnam sint ne leviter quidem perstringit. itaque quo clarius, quemadmodum Nonniani syllabas expenderint, perspicias iam omnes[2] syllabas finales, quae in Christodori ecphrasi et primo Dionysiacorum libzo extant, diligenter perlustrabo; cumque praecipue Christodorus mihi respiciendus sit, ecphrasis locos cum Nonni usu non bene congruentes explicabo.

A. de syllabis finalibus in arsi positis.

I. monosyllaba quae

a) brevi vocali terminantur, arsin tenent pedis

	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	—	4	—	—	2	—
apud Nonnum in	—	2	—	2	—	—

versibus. Scheindlerus[3] nuper hanc productionem a Nonno ideo in solis pedibus primo, secundo, quarto admissam esse contendit, quia in versus initio et post caesuram principalem maxima voci vis inhaereat. si recte hoc dixisset, nonne longe plurimas eiusmodi in arsi prima productiones exspectaremus? quod plane secus est. ut meam sententiam proferam, primum per se intellegitur ab arsi tertia propter caesuram ne-

1) annal. gymn. Austr. 1879 p. 412 sqq.

2) seclusi quaecunque metri necessitate syllabarum pensationi resistunt. cf. infra p. 43.

3) stud. Vindob. 1880. p. 40.

cessariam hanc productionem exclusam fuisse [1]); nec pes sextus, cum binis monosyllabis constitui non soleret [2]), ei patebat. at quinti pedis arsis cur non admiserit sic productum monosyllabum, non perspicias. itaque ὁ πρίν, quod bis apud Christodorum (vv. 24. 97.) arsin quintam occupat, tenendum esse existumo [3]). quid quod Scheindleri lex vix apte rebus respondere videtur? nam apud Nonnum (Dion. XXXIV, 56) τὸ πρίν hoc ipso versus loco occurrit, ὁ πρίν apud Paulum Silentiarium (ecphr. B. 529) ibidem.

b) quae in αι et οι exeunt,

arsin explent pedis	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	19	2	—	—	1	—
apud Nonnum in	51	7	—	1	2	—

versibus. ubique fere καί sic usurpatur, praeterea semel in pede primo ναί (v. 206), sexies in arsi secunda μοι.

c) quae ex brevi syllaba consonanti terminata

constant in arsi pedis	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	4	14	—	2	6	1 [4])
apud Nonnum in	4	4	—	2	1	—

versibus leguntur.

d) denique comparandi causa et hic et deinceps adnotabo syllabae finales natura longae quomodo adhibitae sint. monosyllaba quidem longa

arsin pedis	I.	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	40	7	1 [5])	3	43	—
apud Nonnum in	53	4	—	2	12	—

versibus occupant. animadvertas quaeso ne haec quidem monosyllaba in arsibus III. et VI. admissa esse: nonne vel

---

1) cf. praeterea supra p. 29.

2) cf. supra p. 27. praeterea, quae Ludwich in Mus. Rhen. t. XXXV, 505 in universum de monosyllaborum apud Nonnianos usu disputat.

3) in eadem arsi quinta apud Christodorum legimus v. 151 ποδηνεκέϊ χρόα et v. 230 ἔρυμα χθονός (cf. Homeri ἔρυμα χροός Δ 137.)

4) de hoc v. 220, qui Nonni usui obstat infra (p. 49) agam.

5) v. 201, ubi quod est δή σε non constare monosyllabis, sed bisyllabum dixeris.

hinc apparet, perverse Scheindlerum[1]) vitatam in his versus sedibus monosyllaborum productionem ex syllabarum pondere in aliis pedibus alio deduxisse?

II. In bisyllabis

inter voces formae iambicae et spondiacae discernamus necesse est:

1) in vocabulis iambicis vel potius pyrrhichiis syllaba finalis

a) si brevi vocali efficitur,

arsin pedis	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	4	—	13	—	—
apud Nonnum in	3	—	13	—	—

versibus tenet. praeter coniunctionem ἔτι omnia verba quae sic adhibentur praepositiones sunt (ἀπό, ἐπί, ἐνί, κατά, περί, ὑπό)[2]), quae cum vocibus sequentibus in unum coalescunt.

b) si in αι vel οι exit,

in arsi pedis	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	—	[1][3])	—	—	—
apud Nonnum in	2	—	—	—	—

versibus exstat.

c) si brevis est et consonanti terminatur

arsin pedis	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	5	—	21	—	—
apud Nonnum in	15	—	22	—	—

versibus efficit.

d) si longa est,

arsin occupat pedis	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	23	11	56	—	—
apud Nonnum in	26	4	66	—	—

versibus. apparet ex pedibus I. V. VI omnino huius formae vocabula exclusa fuisse[4]). in tertia autem arsi syllaba finalis,

---

1) loco p. 36 adn. 3. indicato.

2) apud Nonnum praeterea μετά, παρά, ἵνα et ὅτι, semel v. 359 substantivum πόδα.

3) v. 202, ubi codices ἔχει exhibent, Iacobsius ἔχοι scribendum existumat: equidem Bothii lectionem ἔχῃ praefero.

4) cf. supra p. 26.

caesura pedis gravissima nimium ab insequentis vocabuli initio dirempta, male fert productionem.

2) in vocabulis spondiacis vel potius trochaicis

a) si brevi vocali terminantur, neque apud Nonnum neque apud Christodorum exitus vocis arsin efficit.

b) si in αι vel οι exeunt, semel (v. 237) in ecphrasi in δοιοὶ δέ syllaba finalis arsin tertiam occupat, cui loco sicut duodecim huius usus exemplis, quae ex toto Nonno Hilbergius conlegit, ex vocula δέ enclitice[1]) cum δοιοί iuncta aliqua venia parata est.

c) si consonanti clauduntur,

syllaba finalis arsin efficit p.	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	—	7	—	—	—
in toto Nonno in	10[2])	3	—	—	—

versibus. septem hi Christodori versus ad unum omnes enclitica aliqua voce addita syllabam finalem velut in medio vocabulo positam praebent. praeterea cum τοῖος ἐὼν οἷός περ (vv. 3. 84.) conferas Homeri Σ, 105. δ, 342. ρ, 133 alia; cum φᾶρος δέ (v. 80) et φᾶρος γάρ (v. 183) γ, 467. ε, 230. κ, 543; cum γυμνὸς μὲν (v. 280) Ε, 801. de ν paragogico, quod v. 368 in πᾶσιν μέν extat, Scheindlerus in quaestion. Nonn. p. 66 egit eamque literam solis arsibus II et IV, nunquam arsi III apud Nonnianos accessisse contendit. aut erravit vir doctus, aut Christodorus hac in re Nonnum minus accurate secutus est, cum semel (v. 29) in arsi altera, semel (v. 207) in arsi quarta κεν adhibeat, et illud πᾶσιν μέν et bis (vv. 37. 346) δόκεεν δέ in arsi tertia deprehendamus.

d) si longa est syllaba finalis,

arsin pedis	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	2	9	—	—	—
apud Nonnum in	7	5	—	—	—

versibus tenet. itaque non solum si producendus est vocis exitus, sed etiam si natura longus est, multo saepius verba

1) ut δέ, μέν, γάρ eodem fere loco quo encliticas habeam, omnes libenter concessuros scio. cf. Ziegler praef. ad Theocr. p. IX, adn. 2.

2) horum plerique Homero deberi videntur.

formae ⏑⏓, quam formae –⏓ ita adhibentur, ut syllaba finalis arsin efficiat; neque si comparaveris quae supra p. 30 de spondeo inter binas caesuras masculas quam maxime vitato exposui, de causa huius rei dubitabis.

III. Voces trisyllabae formae – – | ⏓[1]),

a) si brevi vocali finiuntur, neque apud Nonnum neque apud Christodorum ita adhibentur, ut syllaba finalis arsin teneat (Nonni N. 110 iure suo Hilbergius correxit).

b) si exeunt in αι vel οι,

syllaba finalis in arsi pedis	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	1[2])	1[3])	—	—	—
in toto Nonno in	53	6	—	—	—

versibus occurrit.

c) si habent brevem exitum consonanti terminatum, hic exitus in arsi

p.	II.	III.	IV.	V.	VI.
apud Christodorum in	2[4])	—	—	—	—
in toto Nonno in	72	9	—	—	—

versibus apparet.

d) sin longa est syllaba finalis,

in arsi pedis	II.	III.	IV.	V.	VI.
a Christodoro in	27	21	—	2	—
a Nonno in libro I in	36	14	—	2	—

versibus adhibetur. verba huius formae syllaba finali ne arsin sextam expleant, Nonni de clausula versus lex obstat, quam supra p. 28 commemoravi; ne in arsi quarta desinant, necessaria pedis tertii caesura impedit.

IV. Denique inter vocabula plurium quam trium syllabarum nulla invenias, quin aut omnino ab hexametro, qualem Nonnus decurrere voluit, arceantur, aut ex metri necessitate in arsi ultimam producant.

---

1) trisyllaba aliter conformata aut metri necessitati succumbunt (⏑ ⏑ | ⏓) aut omnino hexametro resistunt (⏑ – | ⏓ et – ⏑ | ⏓).

2) v. 75.

3) v. 299.

4) vv. 225. 236.

B. de syllabis finalibus in **thesi** positis.

I. monosyllaba,

a) si vocali brevi terminantur, et a Nonno et a Christodoro in thesi spondiaca vitata sunt: excipitur clausula versus, ubi decies apud Christodorum, tredecies apud Nonnum δέ legimus.

b) si in αι vel οι exeunt,

thesin longam pedis	I.	II.	III.	IV.	—	VI.
apud Christodorum in	2	—	—	1		—
apud Nonnum in	1	2	1	1		—

versibus efficiunt. ubique vocula, de qua agitur, καί est.

c) si breves sunt et consonanti finiuntur,

thesin spondiacam pedis	I.	II.	III.	IV.	—	VI.
apud Christodorum in	2	1	—	1		6
apud Nonnum in	—	—	—	—[1])		2

versibus explent.

d) si in syllabam natura longam desinunt,

haec thesin spondiacam p.	I.	II.	III.	IV.	—	VI.
apud Christodorum in	5	2	—	3		3
apud Nonnum in	—	—	—	1		8

versibus efficit.

II. bisyllaba,

propter leges, quas supra p. 28 sqq. exposui, praeter clausulam versus in solo pede primo sic adhiberi possunt, ut exitus eorum longam thesin occupet.

a) si brevi vocali terminantur, clausula nunquam apud Nonnianos spondiacam pedis primi[2]) thesin efficit. ecphrasis unus versus 96 huic legi obstat, ubi οἷα Ζεύς eadem quae apud Homerum O, 97 formula legitur. praeterea talem thesin

1) casu in primo Dionysiacorum libro talia monosyllaba non producuntur in thesi spondiaca: exempla huius usus sane pauca Scheindlerus congessit annal. gymn. Austriac. 1879 p. 412 sqq.

2) de clausula versus infra seorsus agam.

admiserunt Triphiodorus v. 126, Paulus Silentiarius ecphr. eccl. A, 253. B, 183.

b) si exeunt in αι vel οι exitum Christodorus semel, (v. 339) nunquam Nonnus in thesi spondiaca collocavit.

c) si clausulam brevem consonanti finitam habent, haec thesin spondiacam apud Christodorum in 10 versibus, in toto Nonno in 45 versibus efficit.

d) si in syllabam natura longam desinunt, haec longam primi pedis thesin apud Christodorum in 32 versibus, apud Nonnum in 8 versibus tenet. versu ecphrasis 375, ubi contra legem de bucolica caesura, quam supra p. 30 descripsi, καὶ αὐτῶν pedem quartum occupat, bene ab Hilbergio codicis Palatini lectio κ' αὐτῶν in κλυτῶν ⟨κατὰ⟩ mutata est.

apparet igitur et in monosyllabis et in bisyllabis ad spondiacam thesin adhibendis Christodorum minus severum fuisse quam Nonnum. denique in

III. vocabulis plurium quam duarum syllabarum nunquam apud hos clausula verbi spondiacam thesin explet. quaecunque cogitari possunt, aut sic ⏑|–́ ⏓ aut sic –|–́ ⏓| exire debent, quarum formarum haec Nonni de spondeis non continuandis legi obstat, illa soli pedi secundo ac, si recte supra p. 29 disserui, ne huic quidem satis convenit.

Iam eo pervenit disputatio nostra, ut de syllabarum perpensatione Nonniana summam faciamus. quare hic quos singillatim perscripsi numeros iterum proponam in unum congestos. singulos pedes, in quibus syllabae finales productae sint aut non sint, non iam respicio, quia probatum esse spero non syllabarum pensatione pro pedibus variata, sed cautelis, quas de caesuris spondeisque Nonniani sibi imposuerunt, factum esse, ut in his pedibus saepius in illis rarius clausulae verborum producerentur.

Syllabae finales	arsin efficiunt.			thesin spond. efficiunt.	
	in vocabulis monosyllabis	in vocabulis bisyllabis.	in vocabulis trisyllabis	in vocabulis monosyllabis	in vocabulis bisyllabis
quae in brevem vocalem exeunt, in versibus	**6.** 4.[1])	**17.** 16 (—)[3])(—)	— —	—[2]) —	**1.** —
quae in αι vel οι exeunt, in vv.	**22.**[4]) 61. (**4.**) (9.)	**2.** 2.	**2.** —	**3.** 5.	**1.** —
quae breves sunt et consonanti terminantur, in vv.	**26.** 11.	**33.** 37.	**2.** —	**4.** —	**10.** —
quae natura longae sunt, in vv.	**94.** 71.	**101.** 108.	**50.** 52.	**10.** 1.	**32.** 8.

Itaque quattuor illis Hilbergi legibus, hanc unam multo simpliciorem oppono:

Nonniani breves syllabas finales, quas in arsi et spondiaca thesi multo rarius quam natura longas admittebant, ita pensabant, ut nunquam fere vocali finitas producerent, saepius in αι vel οι exeuntes, saepissime eas, quae consonanti finirentur.

Adhuc ea vocabula, quorum clausulae ex metri necessitate producuntur, non respeximus [5]): quaeritur utrum eidem legi haec quoque succumbant an libere admissa sint. inter verba talia ⏑ ⏑ | ⏓́ semel quod brevi vocali finitur (v. 230), in αι vel οι exeuntia bis (vv. 22. 186), consonanti terminata in 20 ecphrasis versibus sic adhibentur, ut clausula arsin teneat. eadem ratio intercedit inter varios exitus verborum – ⏑ ⏑ | ⏓́,

1) numeris exilioribus insignivi, quae ex Nonni Dionysiacorum libro primo congessi.

2) omisi, quae in versus clausula occurrunt.

3) praepositiones pyrrhichiae magnos hos numeros efficiunt. cf. supra p. 38. si vocabula trochaica respicis, in nullo brevem clausulae vocalem in arsi productam invenies.

4) si excipis eos versus, ubi καί sic adhibetur, multo minores numeri fiunt, quos uncis inclusos addidi.

5) cf. supra p. 36.

quae si vocali brevi terminantur, nusquam, si in αι vel οι exeunt ter, si in consonantem desinunt in 22 versibus arsin efficiunt.

Quae cum ita sint legem supra positam in omnes omnino syllabas finales cadere contendo [1]).

Addo pauca quaedam. Hilbergius pyrrhichia vocabula prorsus alio loco habuit, quam reliqua, quod si tabellas pp. 38. 39 descriptas comparabis non sine causa fecisse tibi videbitur. at pyrrhichia minime propter gravius syllabarum pondus saepius quam trochaica clausulam in arsi productam habent, sed quia in Nonni hexametro verba talia ⏑ | ⏓́ omnibus fere pedibus, talia – | ⏓́ vix uni pedi conveniunt [2]). accedit quod pyrrhichia illa pleraque praepositiones sunt, quae ut procliticae vix huc referri possunt. Quid vero de eo argumento iudicandum est, quo Hilbergius propriam licentiam in producendis clausulis eorum vocabulorum, quae initio versus adstent, Nonnianos sumpsisse sibi contendit? agitur de vocibus huius modi – – | ⏑́, quae ex Nonni de caesuris spondeisque legibus clausulam producere nequeunt nisi in arsibus II, III, V. recte id quidem ille observavit, arsin alteram multo saepius quam tertiam, tum omnino non pati quintam horum verborum exitus non longos natura: at si longas quoque eorum clausulas arsin secundam praeferre arsi tertiae et rarissime arsin quintam efficere cogitasset, de syllabis in primo versu singulariter pensitatis nulla opinor verba fecisset. neque sententiae viri docti favet quod haec productio in verbis – – | ⏑́ i. e. in iis quae hexametri initium explere possunt, multo usitatior est quam in verbis – | ⏑́: lege enim de spondeo inter binas masculas caesuras vitato quam supra p. 30 exposui, efficitur, ut vocabula talia –́ – | –́ saepius quam – | –́ in hac versus sede appareant.

---

1) credas omnino in epica verborum copia voces longa clausula praeditas frequentiores fuisse, quam brevi syllaba in consonantem exeuntes, has frequentiores quam brevi vocali finitas, ut perpensatio illa syllabarum finalium iam nihili fiat: at vel pauci Homeri versus aliud docebunt.

2) cf. § 1. 2. — vocabula iambica in 90 ecphrasis versibus, spondiaca in 11 tantum versibus clausulam natura longam in arsi exhibent.

§. 6. Si verborum initia quae antecedentis vocabuli brevem vocalem extremam positione longam reddunt, perlustramus, nunquam apud Christodorum singulas liquidas videmus: hac in re ecphrasis auctor una cum Paulo Silentiario et Ioanne Gazaeo Nonni, qui nonnunquam ante singulas liquidas brevem vocalem in arsi produxit [1]), morositatem etiam superasse videtur.

Neque vero liquidas in compositis geminatas, qua ex geminatione idem illud pristinum liquidarum robur perspicitur, plane respuit. legimus in ecphrasis versu 297 χρυσύῤῥαπις, v. 305 ἄρρητος, v. 312 ἄμμορος, v. 402 ἄῤῥηκτος, Homero et Nonno [2]) usitata, quibus ex versu 408 ἐϋῤῥείων accedit, nova prorsus et apud solum Christodorum reperta vox [3]). Nonnum Scheindlerus demonstravit maiorem quam Homerum admisisse liquidarum geminatarum numerum, Christodorus in thesi quidem nullam talem geminationem exhibet, in arsi multo rariores quam e. gr. Paulus Silentiarius vel Ioannes Gazaeus.

Σ littera, praeter liquidas ad duplicationem proclivis, a Christodoro geminatur in compositis v. 358 πολίσσουχος (cf. Nonn. Dion. III, 262) et v. 163 φερεσσακής quod inde ab Hesiodo sic usurpatur. deinde in dativo pluralis tertiae declinationis in arsi III octies, ter in arsi V; in arsi secunda, quamquam ipsa quoque verbis in -εσσι exeuntibus patet, ne apud Nonnum quidem hanc duplicationem deprehendi. denique in aoristi primi formis semel (v. 337) in arsi III, semel in arsi V (v. 132), quater in arsi VI, in thesi altera bis (vv. 47. 387) in thesi IV ter (vv. 150. 164. 199), quae geminatio iisdem versus sedibus nec facile aliis apud Nonnum admissa est.

Iam ad liquidas revertor: cum supra [4]) viderimus breves vocales verborum extremas in arsibus altera et quarta tantum ab his poetis produci solitas, his fere hexametri locis etiam positionem debilem eam quae est

---

1) cf. Rzach: studia de versu heroico posthomerico (in actis acad. Vindobon. a. 1879) p. 749 sqq.

2) cf. Scheindler.: quaest. Nonn. p. 8.

3) cf. infra p. 60.

4) in §. 5.

a) in confiniis vocabulorum, contineri per se intellegitur. re vera apud Christodorum sexies in arsi II, ter in arsi IV eam deprehendimus. accedunt in arsi quinta ὁ πρίν bis (vv. 24. 97) et v. 151 ποδηνεκέϊ χρόα, quibus, cum in hac versus sede brevis vocalis finalis produci non soleat [1]), singulare liquidarum robur insigniter demonstratur. Correptionem atticam quae vocatur in confiniis verborum Christodorus Nonni usum [2]) secutus bis in pede II, quater in pede tertio, ter in pede quinto admisit; qua de causa in priore tantum dactyli thesi, nusquam in posteriore hac licentia usus sit, ex eis patet quae nuper Hartelius [3]) de hac correptione docuit.

b) In verbis mediis positionem debilem arsibus quidem ubique libere permissam esse consentaneum est [4]). difficilius autem est iudicare de hac productione adhibita in thesi. in bisyllabis vocabulis Ludwichius [5]) animadvertit syllabam quae est ante mutam cum liquida nunquam productam esse a Nonno eiusque imitatoribus; cuius rei causam equidem ex spondei inter binas caesuras masculas odio [6]) repetendam esse affirmo. Hilbergius de hac positione sive bisyllabis sive plurium syllabarum vocibus data l. l. p. 174 hanc legem proponit: 'Nonnus in thesi positionem debilem intra verba ipsa non admisit nisi in iis vocibus a) quae omissa hac productione omnino in versum non quadrant, b) quae sine ea initio tantum versus conveniunt, c) quae initium versus occupant'. at primum errore sub a) vocabula talia ⏓ m. c. l. ⏑́ ⏑ enumerat, quorum prima syllaba, etiamsi non produceretur, optime in thesin primam, secundam, quintam quadraret. quamnam vero ex verborum formis, quas enumerat, sub b) cadere velit, plane intellegi nequit. quaecunque huc pertinent neque ab Nonni hexametro omnino alienae sunt unam exhibent ex structuris his:

---

1) cf. quae supra p. 37 exposui.
2) cf. Scheindler. qu. Nonn. p. 24 sqq.
3) studia homeric. p. 84 sqq.
4) cf. Scheindler. l. l. p. 60.
5) l. l. p. 9. 13.
6) cf. supra p. 30.

I. vocabula trisyllaba:

a) ⏓ m. c. l. –́ ⏑. eiusmodi vocabula positionem debilem apud Christodorum quinquies in thesi II (vv. 49. 235. 309. 333. 356.) semel (v. 345) in thesi IV patiuntur.

b) – ⏓ m. c. l. –́. εὐόπλων in thesi II versus 28.

II. vocabula quattuor syllabarum:

c) ⏓ m. c. l. –́ ⏑ ⏑. talia apud Christodorum ter in thesi IV (vv. 132. 221. 305.) semel in thesi III (v. 312) syllabam brevem ante mutam cum liquida producunt.

d) –́ ⏓ m. c. l. –́ ⏑ Ἡράκλειτος in versus 354 thesi II.

e) ⏑ –́ ⏓ m. c. l. –́.

III. vocabula quinque syllabarum:

f) ⏓ m. c. l. –́ ⏑ ⏑ –
g) ⏓ m. c. l. –́ – –́ ⏑
h) –́ ⏓ m. c. l. –́ ⏑ ⏑
} vocabula huius structurae non leguntur apud Nonnum.

i) ⏑ –́ ⏓ m. c. l. –́ ⏑

k) – –́ ⏓ m. c. l. –́ ⏑; (talia apud Nonnum non extant.)

cum vocabula quae formas b, d, e, i exprimunt omissa productione dactylico versui resistant, relinquuntur verba formae a, de quibus supra egi, et formae c, quae syllabam ante mutam et liquidam correptam et in thesi prima et in thesi tertia exhibere possint: itaque quales sint illae voces quas productione neglecta in solo versus initio locum habere Hilbergius contendit, me quidem prorsus latet.

Quid vero in hac lege sibi volunt ea vocabula quae versus initium tenent? Hilbergius cum in prima hexametri thesi hanc productionem paulo saepius quam in thesi altera vel tertia adhibitam videret, non ut debebat huic thesi sed vocabulis, a quibus versus inciperet, maiorem quandam licentiam vindicavit. neque quenquam qua re commotus id fecerit fugit: nempe morosis his de positione debili observationibus leges, quas antea de syllabarum pensitatione in versus initio minus exacta finxerat, nonnihil sibi visus est firmare. attamen res simplicissima est: si bisyllaba excipis, quinque [1]) tantum

---

1) sunt haec: Ἡρακλέης, Ἀφροδίτη, ἀλλοτρίου, ἀλλοπρόσαλλον, Ἀμφιτρύων. cf. Scheindler. l. l. p. 64.

vocabula, quorum tria nomina propria sunt, ex toto Nonno cogi possunt correptione attica insignia. item apud Christodorum pauca tantum nomina propria syllabam illam non productam exhibent: Ἀφροδίτη (vv. 99. 147. 288) in formula homerica, Ἑρμαφρόδιτος (v. 102) Ἡρακλέης (v. 136) Ἀμφιτρύων (v. 367) quorum correptio usu homerico quasi legitima facta est.

Igitur has syllabas quae mutam et liquidam antecedunt comprobatum est a Nonnianis semper productas esse exceptis et paucis vocabulis homericis et bisyllabis, quae si producerentur, rapidum hexametri decursum nimis tardarent.

§. 7. Nonnum ultimam quoque versus sedem legibus mirae severitatis coercuisse dudum constat. ac primum quidem summopere studuit, ut spondeo, non trochaeo versum clauderet, itaque non solum syllabas brevi vocali terminatas in extremo versu vitavit, sed etiam in consonantem desinentes breves syllabas plerasque hac sede exclusit, maxime eas, quae in -ις, -ιν, -υς, -υν exeunt[1]). apud Christodorum non pauca in versus clausula videmus, huic Nonni usui contraria sunt fere haec:

v. 125 ὅν ποτε γαῖα. nusquam a Nonno nominum primae declinationis exitus in -α, -αν in extremo versu admissi sunt[2]). cum in versu qui sequitur 126 codices Σικελίη non Σικελική praebeant, γαῖα corruptum esse aut interpolatum verisimillimum fit: versu 410 (ἣν ἔτι παίδνην) comparato ὅν ποτε παῖδα[3]) | Σικελίη hic scribendum esse existumo.

v. 348. ἔνθα cf. Nonn. Dion. XXXVII, 44. Paul. Sil. A. 248. B. 151. 223 ambon. 106.

v. 342 ἀλᾶτο, cui usui apud Nonnum nihil accurate respondet. cf. Mus. v. 71: κατὰ νηὸν ἀλᾶτο.

vv. 36. 368. 393 μάντις.

---

1) Ludwich: symb. crit. p. 71 sqq. diligenter quaecunque in hanc rem faciunt, exposuit. cf. etiam Indicem philol. 1873 p. 286.

2) accusativum γαῖαν in versus clausula legi apud Dionys. Per. v. 768. Coll. v. 158. Mus. 176. Io. Gaz. I, 186.

3) hic tertiae declinationis exitus in -α a Nonno non aeque ac primae vitabatur. cf. Ludwich. l. l.

v. 325 βότρυς.

v. 141 χεῖρας. cf. Colluth. v. 355 γυναῖκας.

v. 328 ἦεν quod vocabulum eodem versus loco a Triphiodoro v. 573 Ioanne Gazaeo B. 24. Colluthо v. 277 positum est. recte Wernickius[1]) observavit Nonnum omnes versus suos eiusmodi vocabulis clausisse, quibus ν paragogicum addi non posset. qua in re cum ceteri Nonni sectatores minus diligenter fuerunt, tum Christodorus aliquotiens contra praeceptoris regulam peccavit: praeter ἦεν quod, cum ἦε non dixerint, vix numeres, versu 15 ἀγορῇσιν, v. 263 φασί in extremo versu legitur.

v. 175 μῆτερ. cf. Nonn. XLIV. 309 T. 109.

Quae praeterea syllabae breves in clausula hexametri apud Christodorum sunt (vv. 22. 62. 101. 103. 182. 216. 223. 231. 236. 238. 251. 275. 282. 309. 321. 334. 335. 355. 372. 382. 384. 386. 403. 411. 414.) etiamsi omnes Nonni exemplis nonnullis firmantur, tamen illum in clausula versus conformanda minus diligentem Nonno fuisse clarissime demonstrant.

Ex eis quae supra p. 41. exposui monosyllaba a Nonnianis extrema versus sede admissa esse elucet, neque longa tantum (sicut apud Christodorum χείρ v. 10 φώς v. 320) sed brevia quoque haud raro: in ecphrasi ter μέν, ter γάρ, novies δέ thesin sextam occupat. Nonnus cum brevibus monosyllabis in versus clausula minime abstineat, nunquam enclitico monosyllabo hexametrum claudit[2]): cui legi in ecphrasi nostra solus v. 220 contrarius est, ubi γάρ που pedem sextum tenet[3]).

Denique ex nova prorsus lege etiam Quinto Smyrnaeo plane ignota idem Nonnus in exitu versus proparoxytonis ubique abstinuit[4]). Christodorus hac in re uno versu 386 excepto, qui exit in μέλισσαι[5]) ducis vestigia anxie pressit.

---

1) l. l. p. 66.

2) cf. Plew.: annal. philol. 1867 p. 847 sqq.

3) de antecedente monosyllabum in clausula adhibitum vocabulo choriambico supra p. 26 sq. disputavi.

4) Ludwich. annal. philol. 1874.

5) cf. Anthol. IX, 187, 1. μέλισσαι item in clausula legi apud

unde orta sit haec norma dubium est: vereor ne ex syllaba brevi in versus clausula molestissima non satis explicetur. itaque Ludwichio assentiar Nonnum eo consilio hunc usum induxisse existumanti, ne novissimo ac requiem voci daturo loco verborum accentus cum accentu versus discreparet. ex eodem verborum versusque accentum conciliandi studio num alia quae in Nonni hexametro deprehendimus derivare nobis liceat, valde dubito. nam Tiedke si illa de causa et ante masculas pedum tertii[1]), quarti[2]), quinti[3]) caesuras plerumque paroxytona posita, et in versus initio proparoxytona antibacchia[3]) vitata esse opinatur, manifesto errat. an paroxytona hoc versus loco minus rhythmico accentui adversari putas quam proparoxytona? oblitus est syllabam quae caesuras masculas antecedit plerumque natura longam esse, ita ut his versus sedibus proparoxytona tantum non excludantur.

Haec fere habui quae de Christodori re metrica exponerem. ac primum quidem a Panopolitano ecphrasis auctorem totam hexametri structuram mutuatum esse multis certisque ni fallor documentis illustravi. quae contra usum magistri peccavit, si recte vidi, Homerum imitatus admisit. alia a Nonno parcius usurpata ipse licentius adhibuit una cum aliis Nonni sectatoribus. ex his quemnam maxime secutus sit, iure quaeras: at argumenta, quibus solvas quaestionem, nullo modo sufficiunt. licentias enim illas tam Triphiodori quam Colluthi exemplo comprobari videmus, neutrius vero ita, ut coniunctiorem eum cum nostro poeta statuere audeamus. id unum paulo certius affirmari potest Paulum Silentiarium et Ioannem

---

Homerum (M 167. v. 106) Hesiodum (theog. v. 594) Apoll. (I, 879) Callim. (II, 120) Theocr. (I, 107, VII, 81. 142.) Quint. Sm. (I, 440. III, 221) Triphiod. 534. unde deprompserit illum v. 386 poeta ignoramus.

1) Hermae t. XIII, p. 59. Christodorus in hac sede in 91 ex 109 versibus penthemimere incisis paroxytona, in 6 versibus perispomena, in 3 versibus oxytona, proparoxytona in 2 tantum (vv. 87. 185) admisit. contra ante trochaicam pedis tertii caesuram proparoxytona longe usitatissima sunt.

2) l. l. p. 65.

3) Hermae t. XIV p. 412.

Gazaeum, qui ipsi quoque ecphrasis titulum usurparunt, Christodori artem non ignorasse. denique pauca quaedam in ecphrasi deprehendimus nec Nonni neque aliorum Nonnianorum usu satis probata: at ne his quidem valde offendimur. quid? nonne poetae qui tot epica carmina componeret artem metricam ab alio acceptam suo arbitrio paulum immutare licuit? immo moderatio mirabilis est, quod non multo longius a Nonni legibus discessit[1]).

III.

De dictione Christodori.

Cum in optimo quoque poeta graeco, cuius opera, ut unice delectemur diem tulisse dicas, dolore nonnunquam afficiamur, si studia a viris doctis difficillima in pedibus dimetiendis ac perpendendis syllabis collocari videmus, aliter res se habet in his novissimae aetatis versificatoribus: tam frigida enim arte et Nonnus et qui eum secuti sunt versus panxerunt, ut carmina eorum non immerito philologis tanquam corpora anatomis proiecta esse videantur, viscera et intestina ad arbitrium libidinemque perscrutaturis. Huc usque artem metricam Christodori aperui more anatomico; iam dictionem similiter tractaturus primum de imitatione Christodori quae investigavi, breviter exponam. nempe hi poetae confines antiquitati et medio aevo totam hereditatem antiquorum illorum consecuti perpauca suis viribus, plurima alienae imitationi debent. quam imitationem nescio an is quoque non sine fructu cogniturus sit, quem pusilli hi poetae ipsi minime delectent; sic enim perspicitur, quinam ex antiquis poetis etiam tunc in hominum ore ac mente versati sint.

---

1) cf. Wernicke l. l. p. 265.

Deinde quae ipsi propria esse videantur quaeram et locos non recte constitutos retractabo.

§. 1. Quoniam apud omnes epicos Graecos Homeri exemplum plurimum valuit, etiam Christodorus ex uberrimo illo perennique fonte multa hausit. ex tot statuis nullam pluribus verbis ornavit, quam Homeri, hanc unam sic descripsit, ut paene absolutam notionem nobis impertiat. in descriptione ipsa sunt quae summam Homeri admirationem testentur: imprimis vv. 320 sq.

Σύννομος Ἀπόλλωνι πατὴρ ἐμὸς ἰσόθεος φὼς
ἵστατο θεῖος Ὅμηρος....

necessitudinem, quam inter Homerum et se ipsum Christodorus statuerit, clarissime demonstrant; scholiasta cum insolitum ceteroqui ecphrasis auctoris fervorem animadvertisset, quamvis in ceteris parcissimus verborum, loquaciter ad hunc versum adnotavit: ἠράσθης, ὦ φίλος, τοῦ κάλλους καὶ τῶν λόγων Ὁμήρου, καὶ τοῦτον πατέρα ἐκάλεσας διὰ τὴν σὴν εὐμουσίαν καὶ ναὶ μὰ τοὺς λόγους οὐ μακρὰν εἶ τῆς ἐκείνου ψυχῆς καὶ τῶν ἐκείνου χαρίτων. atque etiam heroum statuae satis multae Christodorum ad eundem Homerum revocabant, quippe qui de his optima ac notissima cecinisset.

Iam supra saepius metricas Christodori licentias similibus Homeri locis defendi; ut gravissima repetam, bis tota hemistichia ex Homero derivata sunt: v. 86 Χρύσης δ' αὖθ' ἱερεύς (cf. Α, 370) et v. 145 Αἰνεία Τρώων βουληφόρε (cf. Ε, 180 Ρ, 485) quibus tertium addo quod legitur v. 55 βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης Homericis Η, 180 Λ, 46 ad verbum respondens. haec cum alibi non legantur ex ipso Homero sumpta scias. praeterea haec fere versuum clausulae homericam memoriam referunt:

v. 250 μῆτιν ὑφαίνειν[1]) cf. Η, 324. Ι, 93 etc. — vv. 176. 198 δάκρυα λείβειν cf. ε, 84. π, 214. — v. 78 νώροψ χαλκός cf. Β, 578. Η, 206. alibi. — vv. 99. 147. 288 χρυσῆ Ἀφροδίτη

1) fortasse v. 257, ubi codices ἐπίφρονα μήδεα φαίνειν praebent, item scribendum est μῆτιν ὑφαίνειν: cum neque ἐπίφρων neque φαίνειν cum μήδεα iuncta alibi legantur, ἐπίφρων μῆτις (τ, 326) non minus quam μῆτιν ὑφαίνειν ex Homero nota sunt.

cf. Γ, 64 etc. — v. 142 γλαυκῶπις κούρη cf. Ω, 26. β, 433. — vv. 107. 159 σήματα φαίνειν[1]) cf. Δ, 381. — v. 163 υἷες Ἀχαιῶν cf. Α, 162 etc. — v. 171 δῖος Ὀδυσσεύς cf. α, 196 etc. — v. 197 τίς τοι ἀνάγκη cf. Ε, 633 etc. — v. 232 ἀλλὰ καὶ ἔμπης cf. Β, 297. Τ, 422. — v. 291 δῖος Ἀχιλλεύς cf. Α, 7 etc. — v. 320 ἰσόθεος φώς cf. Λ, 428 etc.

Versuum principia Christodoro cum Homero communia haec inveni: v. 7 δριμὺ μένος cf. ω, 319. — v. 96 οἷα Ζεύς cf. Ο, 97. — v. 135 εὖ εἰδώς cf. Α, 385 etc. — v. 193 ἱππόκομος τρυφαλεία cf. Μ, 339.

Versuum partes ex Homero haustae variis versuum sedibus collocatae in ecphrasi hae sunt: v. 9 σάκος εὐρύ cf. Ν, 552. 608. χ, 184. — v. 10 ὑψόσ' ἀείρειν cf. Κ, 465 etc. — v. 60 Ἴλιος ἠνεμόεσσα cf. Θ, 499 etc. — v. 76 πάντες ὁμῶς cf. δ, 775. — v. 81 χρυσεία καλύπτρη cf. ε, 232. κ, 545. — v. 86 πέλας ἵστατο cf. ο, 257. — v. 165 ἀρήϊος Μενέλαος cf. Δ, 98 etc. — v. 210 πελώριος ἕρκος cf. Γ, 229 etc. — v. 232 ὄνομα κλυτόν cf. ι, 364 etc. — v. 275 σάκος ἑπταβόειον cf. Η, 220 etc. — v. 307 φαρέτρη ἰοδόκη cf. Ο, 444 etc. — v. 383 ἀργυρότοξος Ἀπόλλων cf. Β, 766 etc.

Denique has Christodori versuum particulas, etiamsi cum locis homericis non absolute concinant, ad Homeri imitationem refero: v. 1 ἐϋγλύπτῳ ἐπὶ βωμῷ ad η, 100 ἐϋδμήτων ἐπὶ βωμῶν. — v. 8 πεφυλαγμένος ὁρμήν ad Κ, 123 ποτιδεγμένος ὁρμήν. — v. 37 χέειν μαντώδεα φωνήν ad τ, 521 χέει πυλυηχέα φωνήν. — v. 230 ἔρυμα χθονός ad Δ, 137 ἔρυμα χροός. — v. 299 ἀΐξαι λελιημένος ad Ε, 690 παρήϊξεν λελιημένος. — v. 280 γυμνὸς μὲν ἔην δέμας ad Ε, 801 μικρὸς μὲν ἔην δέμας. — v. 114 ἐπ' Εὐρώταο ῥοάων ad Τ, 1 ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥοάων.

---

1) Hecker (commentat. in antholog. p. 25) v. 159 πήματα φαίνειν scribendum esse putat comparato versu 191., cur σήματα φαίνειν plane inepte hoc loco dicta esse iudicet equidem non intellego: immo optime ni fallor respondet illi μαντεύετο quod est in v. 158. accedit quod σήματα φαίνειν locutio est Homero Nonno (XXI, 225) aliis atque ipsi Christodoro (cf. v. 107) usitata.

Singula vocabula quae ex Homero derivarit enumerare longum est[1]), neque, cum plurima in communem omnium epicorum usum recepta sint, ea quidquam demonstrant. alia res digna videtur, quam breviter attingamus: cum iam tragici deinde magis eruditionem affectantes Alexandrini ne trita dicere coarguerentur, verba Homero usitatissima vitare solerent, tum Nonnus rarissima quaeque Homeri vocabula in deliciis habebat[2]). eadem Christodorum via eruditionis palmam petiisse nemo non suspicabitur, ac re vera neque hemistichia neque minores versuum partes quas enumeravi ex eis sunt quae sexcenties Homerus adhibuit; immo pleraque semel tantum bisve apud Homerum leguntur. singula vocabula raritate conspicua indidem in ecphrasin adscita sunt haec fere: v. 205 ἀελπής (ε, 408) — v. 200 ἀλίγκιος (Z, 401. θ, 174) — v. 376 ἀμητήρ (Λ, 66) — v. 266 ἀκερσεκόμης (Υ, 39) — v. 94 βλοσυρῶπις (Λ, 36) — v. 358 δημοβόρος (A, 231) — v. 99 εὐπατέρεια (Z, 292. χ, 227) — v. 240 ἐΰγναμπτος (σ, 294) — v. 361 εὔπυργος (H, 71) — v. 100 θεαίνα (Θ, 5. T, 101) — v. 359 θυμοδακής (θ, 185) — v. 389 λιγαίνω (Λ, 685) — v. 214 μαχήμων (M, 247) — v. 56 πτολιπόρθιος (ι, 504. 530) — vv. 64. 218. 371 παρακοίτης (Z, 430. Θ, 156) — v. 18 συνεέργαθον (Ξ, 36) — v. 144 σακεσπάλος (E, 126) — vv. 2. 295 τολμήεις (K, 205. ρ, 284) — v. 294 τεχνήεις (θ, 297).

quorum verborum maior pars iam ab Alexandrinis aut a Nonno usurpata est, haec tria primus quantum scimus Christodorus ab Homero mutuatus est: v. 205 ἀελπής, v. 94 βλοσυρῶπις, v. 358 δημοβόρος.

Homerum igitur ipsum a Christodoro lectitatum et si multa, tamen non omnia Homerica e Nonno aliisve derivata esse concludo.

Hesiodum ut Homero adiungamus minime sufficit quod statuam eius memorantes versus 38—40 theogoniae prooemium

---

1) homerica verba sunt duae fere omnium partes, tertiam tantum a recentioribus mutuatus est.

2) cf. Ludwich. l l. p. 65. Bintz: de usu et signific. adiectivorum epicorum ap. Nonnum p. 2 adn.

respicere videntur; ac ne dictioni πτερόεν πέδιλον, quae Homero ignota in hesiodei Scuti versu 220 et in ecphrasis versu 298 legitur, nimium tribuamus Nonni Dion. III, 130 obstat: hunc enim Christodoro eam suppeditasse verisimilius est.

Neque φωνὴν φθέγγεσθαι quod praeter ecphrasis versum 29 in sola Batrachomyomachia (v. 272) inveni, aut λιγυρὴ μολπή, quae dictio ecphrasis versui 130 cum hymni homerici XIX. v. 24 communis est, satis confirmat haec carmina a Christodoro exscripta esse.

§. 2. Proximum est ut Alexandrinos poetas quemadmodum imitatus sit Christodorus, declarem; nam horum opera ei nota fuisse, cum de Nonno idem constet, verisimillimum est. specimina tamen imitationis nimis pauca suppetunt. summa auctoritate Byzantii etiam novissimis temporibus floruisse scimus Apollonium Rhodium. hae ecphrasis dictiones illius Argonautica sine dubio redolent: v. 27 βουλὴν στρωφᾶν cf. Apoll. III, 424. — v. 27 μῆτιν ἑλίσσειν cf. Apoll. I, 463. — vv. 33. (338) λάθρη ὑπὸ κραδίην cf. Apoll. III, 296. — v. 101 αὐχένος ἐξ ὑπάτοιο [1]) cf. Apoll. IV, 180. 1348. I, 222. — v. 378 κλέα φωτῶν [2]) cf. Apoll. I, 1.

Singula ecphrasis vocabula quae ab Apollonio aut omnino primum aut primum eo sensu, quo a Christodoro, adhibita sint, enumerare longum est. neque, cum eadem in omnium recentiorum copias recepta sint, certum inde efficias studium Apollonii.

Cum Callimachi hymno in Dianam v. 12:

ἐς γόνυ μέχρι χιτῶνα
ζώννυσθαι λεγνωτόν alii iam comparaverunt ecphrasis versum 309: ἦν δ' ἐπὶ γούνων
παρθένιον λεγνωτὸν ἀναζωσθεῖσα χιτῶνα. praeterea notatu dignum videtur, quod verba φαρέτρην ἰοδόκην, quae in eiusdem Dianae descriptione v. 308 Christodorus exhibet, in eadem hexametri sede Callimachus l. l. v. 212 ita posuerat. (φαρέτρας ἰοδόκους.)

1) Ludwich. (symb. critic. p. 35 adnot. 18) cum Apollonii locos ignoraret, ex Rhiano (cf. Meineke: Anal. Alex. p. 202. fragm. 2) hoc derivandum existumavit.

2) cf. supra p. 32.

Christodori versum 6:

δόχμιος[1]) ἦν· μανίῃ δὲ κεκυφότα νῶτα συνέλκων

Iacobsius cum Theocriti id. XXII. v. 120: δοχμὸς ἀπὸ προβολῆς et id. XXV, 245 κυρτὴ δὲ ῥάχις γένετ' ἠΰτε τόξον comparavit. mihi quidem haec satis diversa esse videntur; rectius versus 205 εἰς λίνον αὐτοκέλευστον cum Theocriti id. XXVII. versu 16 μὴ ἐς λίνον ἄλλυτον ἔλθῃς αὐτοκέλευστον comparatur (cf. etiam Nonn. Dion. II, 12. III, 163). Item casui, non imitationi tribuendum videtur, quod γῆρας ῥικνῆεν praeter ecphrasis versum 340 apud solum Nicandrum (ther. 137) extat; gravius fortasse est, quod verba ῥοδόσφυρος Ἠετιώνη et in ecphrasi versum 160, et apud Quintum Smyrnaeum I versum 115 claudunt.

Denique proferam eas versuum partes, quas aliquot Anthologiae poetis cum Christodoro communes esse inveni, non quo adfinitatem inter hos et illum intercedere contendam, sed ne silentio praeteream, quae ad illustrandum Christodori sermonem aliquantulum conferant: cum v. 13 ἄνθε$^{\mu}$α[2]) πειθοῦς cf. Antholog. V, 144, IX, 184, 5 sq. XII, 163, 4. — cum v. 345 ἐν ζωοῖσι V, 85, 3. — cum v. 88 στέμμα φέρων XV, 49, 4. — cum v. 33 τραγικὴ Μοῦσα VII, 21, 2. — cum v. 112 βρέτας ἔμπνοον IX, 197, 2. — cum v. 168 ἐρατὸν τύπον IX, 405, 3. — cum v. 405 ἐμὸς σκηπτοῦχος[3]) IX, 656, 19.

§. 3. Plura investigavi quae in sermone pariter atque in numeris Nonni auctoritatem multum apud hunc poetam valuisse testantur. ac primum ea ex ecphrasi vocabula con-

---

1) propter Theocriti locum et alios (Oppian. Hal. II, 353. Nic. Ther. 479) δοχμός ἔην pro δόχμιος ἦν scribendum esse putes: at Nonni I v. 52 δόχμιος bene se habere comprobat.

2) Plan. ἄνθεα, cod. Pal. sic ἄνθε$^{\mu}$α cum μ a correctore superscripto. Iacobsius hic ἄνθεμα pro ἀνάθημα, ut alibi, dictum esse vult; at propter Anthologiae locos quos commemoravi, vocabulum quo flos significatur, hic flagitamus aut ἄνθεα aut pluralem ἄνθεμα ab ἄνθεμον derivatum. neque vero, ut Ludwich. (ann. gymn. Austr. 1878 p. 326) proponit ex verbo ἤστραπτε pendere potest ἄνθεα· (cf. Anthologiae locos supra allatos et ecphrasis vv. 367. 388.)

3) vide infra p. 60.

geram, quae cum a Nonno primum formata sint [1]) certissime Nonni sectatorem ostendunt; sunt haec fere:

v. 48 ἀναυδής. — vv. 136. 291 ἀνίουλος. — v. 269 αὐτοέλικτος. — v. 391 ἀριστῶδις. — v. 196 βαρυδάκρυος. — v. 261 βοόκτιτος. — v. 1 εὔγλυπτος. — v. 411 ἴδμων. — v. 132 καλλιτόκος. — v. 37 μαντώδης. — v. 329 ὀξυτενής. — v. 351 σελαγίζω. — v. 81 ὑποσφίγγω

quae Riglerus [2]) a Nonno inventa Graecorum verborum copiae addita esse demonstravit; nonnulla accedunt quae equidem aut primum aut solum apud Panopolitanum deprehendi:

v. 197 δυσπάρθενος (cf. Nonn. XVI, 324). v. 115 μυστιπόλος (cf. Nonn. XII, 65). v. 255 ὁμοπλεκής (cf. Nonn. Φ, 66).

Deinde totas versuum partes a Nonno mutuatus est; memoratu dignas has inveni:

v. 6 νῶτα κεκυφότα (Φ, 64) — v. 7 φέγγος ὀπωπῆς (XX, 402) — v. 10 μαινομένη χείρ (II, 434. XXVIII, 139) — v. 11 κατὰ χροός (IX, 129 etc.) — v. 14 κύκλα παρειῆς (X, 180) — v. 25 πύρσὸν ἀνάπτειν (XXXVII, 76. Σ, 86) — v. 31 σφρηγὶς σιωπῆς (Λ, 145) — v. 35 θῦρσα τινάσσων (XXIII, 14. XXIV, 158) — v. 39 θυιάδι λύσσῃ (XLVII, 117) — vv. 60. 225 ὄμμα τιταίνων (IX, 32, Α, 103 etc.) — vv. 62. βόστρυχος ἀκρήδεμνος (XX, 10) — v. 91 βότρυς ἐθείρης (I, 528) — v. 105 μαζὸς σφριγόων (III, 383 etc.) — v. 113 ἀναπλέκειν μολπήν (XXVI, 211) — v. 133 ὄργια Μούσης (XXXVIII, 31) — v. 170 θερμὸς Ἔρως (XLII, 2) — v. 80 ἄντυξ μηρῶν (XV, 228) — v. 193 ἔγχος ἑλίσσειν (XXX, 306) — v. 212 ἄκρα χαράξας γενειάδος (παρήϊδος XXV, 463) — v. 213 γυμνὸν δέμας ἔχειν (Φ, 43) — v. 214 οἶστρον Ἐνυοῦς

---

1) de Nonni graecitate pauca tantum adhuc explorarunt:
Kreutz: de differentia orationis homericae et posteriorum epicorum.
Assmus: scholae Nonnianae.
Rigler: meletemata Nonniana.
Bernhardy: paralipom. synt. gr. p. 50 sqq.
Bintz: de usu adiectivorum apud Nonnum.
Wernicke, Ludwich, Tiedke locis supra supra laudatis. valde desideratur lexicon Nonnianum a Riglero promissum, quod ne perficeret vir diligentissimus morte impeditus est.

2) l. l., ubi etiam Nonni locos enumeratos invenis.

(XXVI, 6) — v. 245 ἄσθμα τιταίνων (XXVIII, 216 etc.) — v. 273 μίτρην σφίγγεσθαι (X, 10 etc.) — v. 301 κύκλον ὀπωπῆς (IV, 9) — v. 316 παρ' ἐσχαρεῶνι (XXXVIII, 204) — v. 350 ἔργον ὑφαίνω (E, 64) — v. 401 ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα δοῦλον (XXXVI, 432 vocabulis alio modo dispositis) — v. 409 παρ' ἠόσι (XLVII, 406. Φ, 20) — v. 416 πάτριος Ἠχώ (XLIII, 380).

Alia in memoriam revocant similes Nonni locos, sicut v. 96 οἷα Ζεὺς νέος ἄλλος ἐν Αὐσονίοισιν ἀκούων Nonni Z, 225 διάβολος νέος ἄλλος ἐν ὀψιγόνοισιν ἀκούων — v. 136 ἀνίουλον κύκλον ὑπήνης Nonni XXXVIII, 167 ἀνίουλον ὑπήνην — v. 205 εἰς λίνον αὐτοκέλευστον Nonni III, 163 αἴλινον αὐτοκέλευστον. — v. 261 βοόκτιτος Θήβη Nonni XXV, 415 βοόκτιτα τείχεα Θήβης.

Sufficiunt haec, ut in dictione quoque Christodorum Panopolitani illius vestigia nimio magis quam ingenioso poetae conveniat, pressisse eluceat. quaerenti vero, cuinam maxime ex ceteris Nonni sectatoribus in dicendi ratione se applicuerit, hic ut supra in arte metrica satis facere nequeo: Nonnianae Christodori dictiones apud alios eius sectae poetas recurrunt; at nec quemquam dicas eodem modo illas selegisse, neque quae non ex Nonno hausta sunt, ea quisquam sic concinnavit, ut cum Christodori vocibus aliunde petitis satis congruant.

Ad summam, plurima Christodorus Homero Nonnoque debet, nonnulla Alexandrinis; Nonnum autem omnium locupletissimum habuit auctorem. neque vero serviliter illi addictus erat[1]) aut in eo acquiescebat, ut iuraret in verba magistri, immo ipse se dedit ad melioris aevi poetarum imitationem; etiamsi poeticum eius ingenium parvi aestimamus, tamen eru-

1) sic praepositio ποτί, qua Nonnus plane abstinuit (cf. Wernicke l. l. p. 38) in ecphrasis v. 339 legitur ποτὶ βαιόν. alibi κατὰ βαιόν (Oppian. Cyn. III, 86 Nonn. IV, 435. V. 591 Paul. Sil. A. 234. B. 48) semel (Nonn. Π, 66) μετὰ βαιόν. Item v. 5 praepositio ἐπὶ insusitato modo adhibetur in εὖ δ' ἐπὶ κόσμῳ: vulgo εὖ κατὰ κόσμον vel εὖ ἐνὶ κόσμῳ vel κόσμῳ dicebatur. at quamvis facile illic κατὰ βαιόν, hic εὖ δ' ἐνὶ κόσμῳ scribatur, in poeta novarum rerum studioso tradita tenere malo.

ditionis cuiusdam et bonis litteris nutriti sermonis laudem ei non abrogabimus.

§. 4. At non solum ex uno exemplari omnem artem suam derivare noluit, sed etiam nova fingere et graecitatem non paucis vocabulis augere ausus est. ad ea iam accedamus. v. 15 οἷα πολυτροχάλοισιν ἀεθλεύων ἀγορῇσιν: usitatum est his poetis vocabulum εὐτρόχαλος (cf. Nonn. XLI, 342. Paul. Sil. B, 120. Io. Gaz. A, 209. Agath. Anth. XVI, 36) quod per metrum liceret hic restitui (οἷα περ εὐτροχάλοισιν) nisi sensus obstaret. ut Nonnus multa cum πολυ componendo novavit[1]), sic Christodorus hoc adiectivum suo periculo finxisse videtur: sine dubio in deliciis habuit hoc verborum genus (cf. πολύζηλος. πολύθρεπτος. πολυίδμων. πολυίδρις. πολύμητις. πολύπλοκος. πολύστονος. πολύστρεπτος. πολυτλήμων. πολύφρων. πολύχρυσος.). — v. 28 Ἠμαθιεῖς alibi non legitur; saepius Ἠμαθίη, unde derivatum est. — v. 34 ἔργα σαοφροσύνης διανεύμενος aliunde ignotum verbum fictum ut διερχόμενος: νέομαι nonnunquam simili sensu inde ab Homero usurpatur. — v. 58 τεύχεα novo adiectivo χαλκήεντα[2]) dicuntur; vix mihi persuadeo ad rem tritissimam significandam vocabulum a Christodoro adhibitum esse, quin idem iam alibi extaret. conferendum est χρυσήεις[3]), quod pariter formatum item semel bisve tantum traditur. — vv. 72. 382 Apollo vocatur τριποδηλάλος vocabulo infacete invento; cf. Anthol. IX, 525, 6, ubi idem deus εὔλαλος appellatur. — v. 146 ἀγλαΐης πνείουσα σοφῇ περιλείβεται αἰδώς novum verbi λείβειν compositum haud inepte derivatum. cf. Orph. Lith. 528: θέλγητρον ἰδόντι | αἰὲν ἐπὶ πραπίδας καταλείβεται et ecphrasis versum 78: ἔλειβε ἀγλαΐης ῥαθάμιγγας χαλκῷ. — v. 157 φιάλη dicitur ἐπιλοίβιος: substantivum ἐπιλοιβή ex Orph. Arg. 547. hymn. 66, 10 notum est. similia quae Nonnus novavit, Ludwichius[4]) adfert. — v. 226 γυιο-

---

1) cf. Ludwich. l. l. p. 101.

2) proponat aliquis in χαλκευθέντα hoc mutandum esse.

3) apud eundem Christodorum legimus v. 295 τολμήεις (cf. K, 205, ρ, 284) et v. 294 τεχνήεις (cf. θ, 297.) vocabula item rarissima.

4) l. l. p. 100.

τόροι μύρμηκες luctatori tribuuntur. simillimum est γυιοβόρος, quod inde ab Hesiodo (oper. v. 66) usu receptum erat nec huic loco non conveniret; at illud aptius. — v. 235 ἐθειράς, vocabulum eo modo formatum, quem Nonno in deliciis fuisse scimus[1]). sed iam in Odyssea π, 176 ἐθειράδες 'pauci libri fortasse recte' ut ait Nauckius, cf. Ahrens ad scholia Theocritea I, 34. — v. 365 ἅρπαγας οἰστρήεντας ἀεδνώτοιο κορείης: ἀέδνωτος (Nonnus ἀνάεδνος cf. XLVIII, 526) praeterea apud solum Lycophronem (v. 549) legi. — v. 369 ἰσαυροφόνος: hoc Christodorus cum Isauriae expugnationem amplissimo carmine celebraret ipse novasse videtur. praeterea extat in Anthologiae epigrammate IX, 656 (v. 17), quod quis fecerit non traditur; sed cum etiam alias exhibeat Christodori dictiones (ἀμέτρητος, ἄχραντος, βοώμενος, ἐμὸς σκηπτοῦχος, πελώριος, πολύϊδρις) nec re metrica ab eius usu discrepet, et temporis rationes conveniant, suspicor ab ipso compositum esse. — v. 408 ἐϋῤῥειών: ex similibus vocibus ἐΰῤῥοος, ἐϋῤῥεής, ἐϋῤῥείτης, ἐϋῤῥεῖος, quae apud Homerum aliosque inveniuntur, nulla in versum quadrabat.

His nonnulla adiungo quae dudum in sermonem epicum recepta Christodorus novo quodam sensu instruxit. — v. 21 ἀμφιέλισσος, quod apud Homerum solis navibus tribuitur, audaciore translatione voci μενοινή appositum est; similem huius adiectivi usum apud unum Triphiodorum investigavi, cuius in v. 667 ἀοιδή ἀ. legitur[2]). — vv. 61. 73 εἰσοπίσω, quod alias temporalem semper exhibet significatum, crinibus a tergo colligatis aptatur. item insolito more v. 62 συνείργειν de crinibus in nodum colligendis, v. 63 ἀναστέλλειν de oculis tollendis dicitur. versus 74, 75

γυμνὸς ἔην, ὅτι πᾶσιν ἀνειρομένοισιν Ἀπόλλων
γυμνῶσαι δεδάηκεν ἀληθέα δήνεα Μοίρης

ultro indicant quam ob causam verbum γυμνοῦν novo hoc sensu praeditum sit. — v. 80 συνάγειν de vestimento contrahendo dictum alibi non inveni. — v. 91 σύρεσθαι, quod

1) cf. Ludwich. l. l. p. 104 sqq.

2) apud Nonnum ἱμάσθλη ἀ. (XLVIII, 328) apud Paulum Sil. (ambon. 119.) κρηπίς ἀ., apud Ioannem Gaz. (v. 314) μίτρη ἀ.

Nonnus (XXI, 208) Triphiodorus (v. 82) alii de cauda per humum tracta usurparunt, nimis audacter de caesarie ab umeris defluenti adhibetur. — v. 188 αὐχμὸν ἀνίης: Nonnus ὄγκον ἀνίης (XII, 269 XIX, 171 XXV, 382) aut οἶστρον ἀνίης (Π, 71) aut ἄχθος ἀνίης (Π, 75). — v. 328 εὔτροχος, quod alibi curru et similibus quibusdam rebus adhibetur, barbae epitheton. — v. 333 τέχνη vocatur ἐΰσκοπος, quod adiectivum apud Homerum Mercurii cognomen. denique v. 380 verbis ἐνάταις ἀνεθήκατο Μούσαις offendimur: quae cum Schaeferus[1]) in ἀνεθήκατο ἐννέα Μούσαις mutaret, nondum cognitum erat Nonnianos tali hiatu plane abstinuisse. paucissima eiusdem usus exempla sunt eaque incertissima si non falsa: Aeschyl. sept. v. 125 πύλαις ἑβδόμαις ubi vide Hermannum [Aeliano de animal. XI. 10 τετάρτων δεῖ μηνῶν Hercherus e codicibus reddidit τεττάρων].

Iam satis apparet simplicia atque usu constabilita Christodorum vitasse, quaesivisse inusitata atque artificiosa. quod novandi studium decuit poetam qui id ante omnia affectaret, ut doctus ac multorum poetarum lectione imbutus videretur. sic factum est, ut ad tumidam dicendi rationem delaberetur, quam placuisse urbanis illius aetatis hominibus nos miramur. cum hac autem diligentia, qua copiam verborum alienam convexit novamque ipse paravit admodum pugnat nimia in varianda dictione neglegentia. ut saepe versibus continuis eandem hexametri structuram repetiit et lenocinia orationis ex sophistico scrinio parce prompta varietate bene temperata exaugere supersedit, ita singula vocabula et ampliores versuum partes brevi intervallo identidem refert. nam deficiebant eum sicut omnes Nonnianos virtutes vere poeticae, dicendi ubertas et sententiarum divitiae. quantumvis curae ac diligentiae illi et normas metricas anxie observantes et sermonem artificiose illuminantes consumpserint, tamen nihil aliud quam senescens tum et effetum antiquitatis ingenium insigni exemplo demonstrant.

1) meletem. in Dionysii artem rhetoricam p. 97 adn. 42.

Additamentum.

Nova codicis Palatini collatione haec [1]) ab editoribus novissimis omissa inveni:

2 ἵστατο . ἥρως
4 ἤντησεν
5 ἵστατο . ἐπι
7 ἔλισσε
12 ἀλλ ου
14 παρειῆς ultima in ras. a correctore [2])
18 ἐνι
19 βουλὴν } accent a corr.
21 ἀνέρος } μενοινην
25 θελξινόοιο ξ in ras.
26 Ἀλλ ουκ . βουλὴν accent. a corr.
28 ἠμαθιήων ιη a corr. in ras.
29 φωνήν
30 ε
32 δε
33 ὑπο
37 φωνήν φ in ras.
40 ἔνθεον ο in ras. antea α fuisse videtur
42 ἀπο
43 ε
45 ἀλλ ἔτι
48 ἡδυ
51 ποικίλα accentus a corr.
54 ελλήνιον item ἔτι
56 σκύμνον accentus a corr.
57 ὅσον
66 πλοκαμος ν a corr. superscr.
69 Πιερικὴ ιε in ras. σαπφώ
70 ἠρεμόυσα ε a corr. superscr.
71 ἀναψαμένην ν in fine a corr. additum
72 τριποδήλαλος . χαίτης ν a corr. superscr.
73 εἰσοπισω σφιγξας . ἐνι
74 ἐην
76 ὅτι . γάρ
78 κύπρις accent. a corr.
79 ἀπο . γυμνὴ gravis a corr. in acutum mutatus
80 φάρος
81 χρυσείη
83 αὐγήν
86 αὖθ'
89 δὲ gravem in acutum mutavit corr.
91 ταναῆς ς in ras.
92 ἔλαμπεν λ a corr. in ras.
102 οὖθ ὅλος ἀνήρ
103 γυνη . βρετας
106 αἰδους ι in ras.
107 κεκερασμένη
109 ἀλλ ενὶ
111 λίπης
112 ἄφθογγον
113 κινουμέναις. μολπήν
114 ἐπ
119 κεκροπίδησι κε in ras.
120 ἱσταμενος δὲ gravem in acutum mutavit corr.
121 σοφός . ἀλλ εν ολύμπῳ
125 ὅν
128 τικτομένου
129 ἀηδών
132 ἐφράσσαο accent. a corr. — θερμούς

1) interpunctiones quae paucissimae eaeque saepe perversae in codice adscriptae sunt, non enotandas esse existumavi.

2) de quo cf. Finsleri studia in Anthol. p. 33. idem corrector scholiis hic illic aliquid addidisse videtur.

135 ειδὼς. γέρων postea superscr.
137 μῆλα accent. a corr. — χρύσεια, quod librarius omiserat, a correctore suprascriptum est. idem in margine adscripsit γρ.⸢χρύσεια κομίζων
139 αὐγή
140 κατωμαδὸν
143 αρκαδικῆς ικ in ras.
146 αἰδώς
149 ἀμφι αὑ ταῖς
155 πατρίδι rasura et lacuna inter π et α
158 καδδε
159 φαίνειν ει ex ω correctum
160 ροδόσφυρος
162 ἐνι
165 ἀλλ επὶ
169 γάρ
170 τέχνη
173 ἐνι
180 ἀλλ ἔτι
189 κασσάνδρην non κασσάνδρας ἀλλ ενι
192 Πύρρος. επὶ
194 ἀλλ ἄρα
199 ἐπειρύσασα
200 ἵστασαι. ἀλλ ενὶ
202 φθιωτιος
203 μενοινήν
204 ἤ
γενετῆρας
206 μα
207 ταχά
209 ὀβρίθυμος
210 ἐσπέρμεινε
213 δέ
217 ἀπειλήν
219 ὀπωπήν
222 Αὐαλέῳ υ in ras.
226 γυιοτυρους
230 σικελῆς ελ in ras.
234 παρειαί
235 ἀμφι
237 τρηχαλεοί
239 τένων εν in ras.
244 δὲ a corr. superscr.
246 ἀλλ ετι
247 Ἀργειάων
251 δαχνυμένω
253 βουλήν
254 δοιάς
280 ἀλλ ἐνι
281 ἀπ αμφοτέρης
282 μαρμαρυγὴν ν in ras. ἀπεπεμπεν
286 χαλκῷ χ in ras. ὀπωπήν
294 ἀπειλήν
297 χρυσόρραπις
300 λαιήν
302 οἷα τε
305 αὔσονις ἀρρήτου
307 τοξον
308 κατωμαδον. ἐπι
310 αὔραις non αὔρης
312 ἀλλ ἄρα
314 ἔχευεν. θέος
315 κατα. ἀνήρ
317 ἀλλ αυτή
319 ἐφθεγγετο
320 φῶς
326 ἀκουάς
328 οὐδε
329 ἀλλ ευρὺς
331 ἐπ απλόκαμψ
334 ησαν
335 ἀλλ ουκ
336 ὀμμασιν
337 τελεσσεν
338 ὑπο
339 ποτι. παρειαί
340 ἐνὶ κείναις, quod antea fuisse videtur, manu recentiore in ἐν ἐκείναις mutatum est. eidem manui recentiori rudes lineas tribuo versibus 6. 11. 58. 108. 128. 195. 204. 207. 210. 295. 302. 329. 344. 380 additas, quibus aliquis locos suspectos insignivit. ad versus 130. 240. 350. 403 idem cum recte eos se habere vidisset, notas sustulit iterum (sic +)
343 δέ
344 ἐπ αλλήλαισι. ῥάβδῳ
345 ἀκουήν
348 οι
349 αδύτων
354 ἀνήρ
356 ἀνδρομένης cum ras. inter ε et η
366 ἄνθος νθ in ras.
369 ἀλλ ου
370 ἐφάρμενον
372 ἐλέλιζεν
377 ἀηδών
379 ὀσσά περ αἰων

381 ευεπιησιν
384 παρα
388 φερασπιδος
394 ἀλλ ου . οὐδ' ἐπι non οὐ ἐπὶ
395 ἐγω
397 χορδῆσιν
404 ἠγαθεην
406 δηώισας· ἔθνεα non ἔθεα, quo Iac. firmaturus erat coniecturam suam minime necessariam ἤθεα γαίης (cf. Dionys. Per. 294. 378. 409. 820 nec non 185 et 1129.)
408 ἐυρρείοντος
409 ἀλλ δν
410 κυδαλίμη υ in ras. Βυζαντιάς· πεδνην.

Natus sum Fridericus Georgius Baumgarten Monaci a. h. s. LVI die XIV mensis Iulii patre Hermanno matre Ida e gente Fallenstein. fidei addictus sum evangelicae. a. LXI parentes Carlsruham se contulerunt, ubi lyceum per quattuor annos, scholam Fridericianam per quinquennium frequentavi. Argentorati deinde, quo parentes a. LXXII commigrarunt, lycei disciplina per V semestria usus anno LXXV maturitatis testimonio instructus academiam Wilhelmam Argentinensem simulque annuum stipendium adii. biennio post Berolinum migravi ibique per annum moratus iterum Argentorati studiis incubui. a. LXXIX sedem Musarum Rhenanam petivi, cuius per III semestria civis fui.

Docuerunt me viri clarissimi Baumgarten, Gerland, Huebschmann, Kraus, Liebmann, Michaelis, Nissen, Scheffer-Boichorst, Schoell, Studemund, Wilmanns, Woltmann Argentinenses, Droysen, Kirchhoff, Mommsen, Nitzsch, Robert, de Treitschke, Vahlen Berolinenses, Buecheler, Kekulé, Leo, Ritter, Schaefer, Usener Bonnenses. Buecheleri, Schoellii, Studemundi, Useneri erga me benevolentia contigit mihi, ut seminarii philologici Argentinensis per ter, Bonnensis per bis sex menses sodalis essem ordinarius. seminariis historicorum me admiserunt Argentinensi Nissen et Woltmann, Berolinensi Mommsen, Bonnensi Ritter et Schaefer. exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt archaeologicis Kekulé, Kraus, Michaelis, Robert, epigraphicis Buecheler, Wilmanns.

Quibus omnibus viris optime de me meritis imprimis vero Buechelero, Michaeli, Schoellio, Studemundo, Usenero gratiam semper habebo quam maximam.

Sententiae controversae.

I. Artificiosius quam rectius Koechly in libello, qui de diversis theogoniae partibus inscribitur, p. 23 Hes. th. 408 ἄνθος Ὀλύμπου pro ἐντὸς Ὀ. scribendum proponit: defenditur ἐντὸς Ὀ. theogoniae vv. 37. 51.

II. Verisimile est Phidiam Pandorae genesin in basi Minervae sic effinxisse, ut scaena utrimque clauderetur bigis orientis Solis et Lunae occidentis.

III. Livius in decade IV. et V. duos Claudios exscripsit, et Claudium qui vulgo appellatur Quadrigarius, et Claudium qui annales Acilianos e graeco in latinum sermonem vertit: neque hi duo ut Unger (Philol. suppl. III, 2 p. 4 sqq.) proponit, unus idemque sunt, neque Κλώδιός τις a Plutarcho (Numae c. 1) laudatus idem ac Claudius Quadrigarius.

IV. In anthologiae Palatinae epigrammate V, 114 v. 5 pro πότε, quod Duebnerus Heckero auctore in textum recepit, ποτέ restituendum est, tollendum interrogationis signum.

V. Qui in Aeschyli septem v. 418 καὶ τῷδε κέρδει κέρδος ἄλλο τίκτεται pro κέρδει κόμπῳ scribunt, nullo modo locum sanant.

VI. Perverse Flach (praefat. ad theog. p. XII sqq.) stemma Hesiodi a Proclo in chrestomathia servatum ab Ephoro derivatum esse dicit: hic enim non ad Orpheum, sicut Procli stemma, sed ad Chariphemum tantum recessisse traditur, neque eo auctore Apelles pater Maeonis et Dii, sed frater erat.

VII. In Tibulli eleg. I, 7, 9 pro 'non sine marte ibi' quod Baehrens coniecit, codicum lectio 'non sine me est tibi' restituenda est.

VIII. In Tibulli eleg. II, 6, 8 lectione codd. AV (ipse lev*em* galea qui sibi portet aquam) immerito spreta Baehrens secutus est cod. G. (lev*i*).